2092

PVRGATORIVM.

SEX CONCIONIBVS, QVIBVS etiam Orationes pro defunctis, Luctus mortuorum, & funebrium Cæremoniarum explicatio continetur, assertum.

Authore D. Martino Eisengreinio, SS. Theologiæ Licentiato, & Præposito Mossurgensi &c.

Nunc primum autem hæ conciones latinitate donatæ sunt, per M. Tilmannum Bredenbachium I. V. & SS. Theolog. Baccalaur.

Cum gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.

Ingolstadij excudebant Alexander & Samuel Vueissenhornij.

ANNO M. D. LXVI

AVGVSTIN. DE CVra pro mortuis gerenda. Cap. 4.

NOn sunt prætermittendæ supplicationes pro Spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana societate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumq; sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes aut filij, aut quicunq; cognati uel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.

SERENISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. Alberto, Comiti Palatino ad Rhenum, Superioris & Inferioris Bauariæ Ducietc. Principi suo Clementissimo.

AGNVS ILle Athanasius, Serenissime & Illustrissime Princeps, proposita sibi quæstione, unde cognosci queat Christianorum religionem reliquis omnibus meliorem, respondit, Lib. quæ. q. 40.

AVGVSTIN. DE CVra pro mortuis gerenda. Cap. 4.

NOn ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro Spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumq; ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia, ut quibus ad iſta deſunt parentes aut filij, aut quicunq; cognati uel amici, ab una eis exhibeatur pia matre communi.

SERENISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. Alberto, Comiti Palatino ad Rhenum, Superioris & Inferioris Bauariæ Ducietc. Principi suo Clementissimo.

AGNVS ILle Athanasius, Serenissime & Illustrissime Princeps, proposita sibi quæstione, unde cognosci queat Christianorum religionem reliquis omnibus meliorem, respondit, Lib. quæ. q. 40.

duo quædam uideri penes nos ſigna, quæ pietatem noſtram, ac Dei ergà nos dilectionem ac protectionem demonſtrent, Primùm quidem, quòd non inuenimus ab initio ſeculi gentem aliam inter omnes gentes, tot tantísq; temporibus impugnatam, nec tamen deletam præter hanc ſolam Chriſti fidem. Quæ certè non manſiſſet indelebilis ab omni natione impugnata, niſi manus Dei cuſtodiuiſſet, & cuſtodiret indelebilem. Secundum autem ſignum eſſe, quòd nullus rex Chriſtianorum, ullis barbaris & infidelibus traditus eſt in mortem, etiam tot nationibus ac gentibus aduerſus regnum bella gerentibus. Quinimò non ſolùm regem

non

non opprimere, sed nec imaginem eius de monetis & numismatis delere cum cruce ualuerunt, etiam quibusdam tyrannis in hoc laborantibus. Tu uero, inquit, noli hanc rem uilem & facilem putare: nisi enim super omnem fidem Deus hanc nostram elegisset, non utiq; ipsam in medio gentium tanquam luporum crescentem conseruasset incolumem & inuulnerabilem. Sed neq; permisisset Deus errantem fidem ubiq; dominari post incarnationem filij eius & Dei nostri Iesu Christi, usq; ad omnes fines terræ. Verissimam profecto hanc D. Athanasij sententiam comperimus, Princeps Illustrissime. Enimuero si Ecclesiæ Catholicæ ex-

ordium, ætatem adultam, et hanc ultimam penè senectã consideremus, quantis eã procellis, quantis tempestatibus iactatam inuenimus? Nãut Nerones, Domitianos, Iulianos, Maxentios, Decios, Attalos, aliosq; penè infinitos Christianæ Religionis sæuissimos, truculentissimosq; persecutores ac Tyrannos, qui annis circiter quadringentis subolescentẽ Christi fidem grauissimè sæuissimeq; exagitarũt, taceamus, qui ferro & flammis tantùm Christiani sanguinis extrema sæuitia profuderunt, ad Pseudoprophetas et hæreticos respiciamus, ad lupos illos rapaces, qui post Apostolorum discessum exorti, gregem dominicũ odio plusq; Vatiniano & plusq; lupina ra-

pacitate

pacitate inuaserũt ac dilaniarũt. Nõne tenerã et ut ità dicam lactentem adhuc Ecclesiã suffocare conati sunt Ebion, Cherinthus, Menander, Basilides, Marcion, et id genus pestilentissimorum hominum, qui uelut apri syluestres uineã Domini immani furore ac rabie dissipare, ac maceriẽ eius demoliri studuerunt? Quorum omnium uiolentos impetus cum immobili firmitate fortiter sustinuisset, atq; adeò uires eorum confregisset Ecclesia Catholica, neutiquàm quiescens pater ille omnis mendacij & falsæ doctrinæ diabolus, Arium Pseudoprophetam excitauit, tantaq; ui ac terrore rem Ecclesiasticam perturbauit, quanta

unus aliquis hæreticus nunq̃. Iam quis ignorat quomodò cum Valentino hæretico luctatus sit D. Irenæus, cum Celso Origenes, cũ Nouato Cyprianus, cum Eunomio Basilius, cum Iouiniano, Heluidio & Vigilantio Hieronymus, cum Fausto Manichæo, Pelagio, Celestio, Donato & Circumcellionib. Augustinus? Atq; adeò nulla ferè ætate ab eiusmodi apris, lupis et uulpibus immunis fuit uinea Domini exercituum Catholica Ecclesia: ut taceam, quantam eidem clademinflixerit, quàm infestis signis oppugnauerit iam inde ab anno Domini 617. Mahometus Arabs ex patre pagano & matre hebræa Ismaëlitici generis

neris, natus. Nihilosecius eadem Ecclesia tot atrocissimorum diuersissimorumq; hostium coniuratissimis copijs impetita, illo protegente qui dixit, Portæ inferi nõ prævalebunt aduersus eam: & Petre, ego rogaui pro te ne deficiat fides tua: illo, inquam, tutore et uindice, retusis fractisq; hostium uiribus semper inuicta perstitit. Verissimè igitur mihi dixisse uidetur Athanasius, Princeps Illustrissime, certissimum hoc esse signum ueritatis fidei & Religionis nostræ, tot eam arietibus tanto tempore continenter impugnatam, nec tamẽ euersam. An autem hac nostra ætate Draco ille, mulieris persecutor à pugna uidetur Apoc. 12.

desistere? Certè tanto cum fremitu ac terrore non solùm debellatas olim copias collisasq; machinas particulatim, & uelut succedentibus sibi cohortibus arte quadam & ordine productas, in aciem reproducit, uerumetiam ipsas easdem cum uniuersa teterrimorum Cacodæmonum turma in unum quoddam agmen coëgisse uidetur. Cuius tam terribilis et horrendi agminis, etsi sub Imperatore Lucifero signifer uideatur Martinus Lutherus: Chiliarchæ, Caluinus, Zuinglius, Oecolampadius, Rotmannus: Centuriones, Illyricus, Sneppius, Beza: Gregarij milites Vergerius, Smidelinus, Spangenbergius, & id genus factiosissi-

factiosißimorum hominum portenta: arma tamen sua mutuati sunt, à ueteribus illis uel ipsorum iudicio damnatæ memoriæ hæreticis, imò inter ipsos Erichthonijs artibus ex inferis euocati pugnare conspiciuntur Nestorius, Pelagius, Vigilantius, Iouinianus, Aëtius, Donatus, Iconoclastæ, atq; adeò uniuersus ille omnium hæreticorum exercitus. Quodsi falsò hoc à nobis dictum uolunt, non mihi sed laudatißimo præsuli D. Cyrillo alijsq; plurimis litem fecerint: is enim ait Nestorianos negasse S. Eucharistiam habere corpus Domini extrà usum Sacramenti, quam impietatem renouarunt Lutheri discipuli.

Epist. ad Colobas.

Aug. li. 1. 2. et 3. cõtra Iulia.

Pelagius

Pelagius negabat esse peccatum originale in pueris: idem Zuinglius docuit et Seruetus. Vigilantius sanctorum cultum, & reliquiarum uenerationem insectabatur: miracula quæ ad eorundem sepulcra diuina uirtute patrabantur, præstigias dæmonum blaterabat: idem blasphemo ore crepitat clypeatus ille gregariæ cohortis pugil Smidelinus, sic blasphema caui spirant mendacia folles. Iouinianus matrimonium æquabat uirginitati, Idem suo epithalamio probat Lutherus, eiusq; discipuli. Aëtius negabat ieiunandũ certis diebus ab Ecclesia præscriptis, nec offerendum sacrificium pro defunctis, Idem passim Lutherus,

Hier. cõtra Vigl.

In hyperaspiste cõt. Matt. Bredenb. Hier. cõt. Iouinian. Smidlin. cont. Hos. Epipha. in hæres Aëtij.

rus, Caluinus cæteriq; omnes. Donatiſtæ apud D. Optatum docebant ſacrum Chriſma conſpuendum & conculcandum: Nouatiani quoq; referente Theodoreto illud uanum commentitiumq; aſſerebant: Idem Lutherus, rancidum oleum illud ſacrilego ore appellitans. Iconoclaſtæ imagines è templis exturbabant: idem noſtri temporis hæretici penè omnes. Deniq; nulla eſt hæreſis quæ non hac noſtra tempeſtate ſub ſignis & uexillis Lutheriſtet in acie & procinctu, uti hoc ipſum luculenter ac ſolidè demonſtrauit claræ memoriæ uir D. Fridericus Staphylus de Republ. Chriſtiana optimè meritus, & iam pridem

In Epiſt. Trim. Theolog. Li. 2. Dubitant. cap. 5.

dem Reuerendissimus D. Vuilhelmus Lindanus omnibus Episcopi ornamentis exornatissimus.

Verumenimuerò ea est optimi Sponsi Domini nostri Iesu Christi erga Sponsam suam Ecclesiam Catholicam fides & benignitas, ut cùm perpetuum illi cum hostibus conflictum habendum (quamdiu in huius mundi deserto sub castris ac tentorijs degendum est) non ignoret, nunq; idoneis & fortibus belli Ducibus ac militibus eam destituat. Olim antè exortam Euangelij lucem contrà Amorrhæos, Iebusæos, Madianitas, Cananæos, Philistæos, largitus est Mosen, Iosue, Iudam, Symeonem, Gedeonem,

Gedeonem, Sampsonem, & contrà superbum illum Goliath, Dauidem, aliosq; infinitos bellicosissimos Duces.

Deinceps abolitis iam umbris Mosaicis, exortaq; Euangelici iubaris luce, cùm nunc non insano furore ac rabie Catholicam Christi fidem adulterinis dogmatibus labefactare & expugnare niterentur hæretici, nouos athletas, nouosq; Gedeones qualibet hominum memoria suæ Ecclesiæ præstituit, Irenæos dico, Adamantios, Cyprianos, Hieronymos, Augustinos, Chrysostomos, Basilios, Nazianzenos, Cyrillos, aliosq; innumeros, quorum uirtus, pietas, bella, victorioss-

victoriosissimiq; triumphi celebriores sunt, quàm ut meam requirant Panegyrim.

Nostra quoq; ætate, qua non unus & alter, sed uniuersa hæreticorum turma furialibus œstris percita, rediuiuis ab Orco manibus, Ecclesiã Catholicam summis atrocissimisq; odijs inuaserũt, quales, quantos quamq; magnanimos, generosos & strenuos palæstritas Dux & Imperator noster Christus Dominus Ecclesiæ suæ largitus sit, nostro catalogo nõ eget. Sanè tanta ui ac robore cum aduersa factione colluctati sunt, ut aduersis plerosq; eorum ne biscere quidẽ ausi fuerint antagonistæ. Quid multis? Sola

hæc

hæc Tuæ Sereniss: Celsit: Princeps Illustrissime Academia Ingolstadiana, quantos habuit, hodieq; habet doctrina, uirtute, pietate, omnibusq; ornamentis conspicuos uiros ac Theologos? Nam ut sanctam illam et in omnibus pietatis bonarumq; disciplinarum exercitijs indefatigabilem Iesu societatem (facessant æmuli) silentio præteream, quam uergente nũc ad uesperam mundo, & imminente hora undecima benignissimus Deus ab annis non ità multis Ecclesiæ suæ largiri dignatus est, quæ licet recens sit, fœcunda tamen est & alacris ad portandum æstum & pondus diei in uinea Domini: ut prætereà exercitatissimum ac Jesuita

τρίγλωττον Theologicæ sapiẽtiæ Professorem D. Georgium Theandrum, Religiosissimumq; uirum. D. Ioannem Nasum Franciscanũ & Ecclesiasten, uiros quotidiè de Tuæ Illust. Celsit. Academia & Repub: optimè merentes, hic operosè non adducam, tres tantùm cõmemorabo, quorũ duos habuit, tertium etiamnùm habet eadem Tuæ Ill. Cels. Academia fortissimos inuictissimosq; Triumuiros, quorum primus extitit uenerandæ memoriæ D. Ioannes Eckius Theologus, qui et eminùs et cominùs scriptis ac disputationib. cũ ipso totius seditionis antesignano Luthero subinde congressus est, eoq; ipsum adegit, ut argumentorũ pondere

Nasus

Eckius

pondere preſſus, publicitus proclamitaret: Hæc res neq; propter Deũ cœpta eſt, neq; propter Deum finietur.

Huic piè & Chriſtianè defuncto, ſuccenturiatus eſt Cl. uir D. Fridericus Staphylus, cuius uirtutes Tuæ Ill. Celſ. totiq; Eccleſiæ ſunt ſpectatiſſimæ, expertiq; ſunt aduerſarij eas maiores quàm uolebant. Hunc quoq; cùm ſanctæ huius militiæ agonothetes rude donaſſet, largitus eſt Tuæ Sereniſs. & Illuſ. Celſitudinis Reipub. & Eccleſiæ, atq; adeò uniuerſo orbi Chriſtiano Magnificum Præſtantiſſimumq; uirum D. Martinum Eiſengreinium Theologũ, Præpoſitũ Moſpurgenſem et Protonotariũ Apoſtolicum,

Staphylus

Tuæ Illust. Cels. Consiliarium, cui ad natalium splendorem, magnasq; et heroicas corporis & fortunæ dotes ea animi indoles diuino beneficio contigit, ut Tuæ I. C. Respubl. Ingolstadiana adeoq; Christianus orbis universus de hoc tanto Pastore ac Præposito sibi cõgratuletur. Quantæ enim uirtutis est, quantæ Philosophiæ in summa dignitate constitutum, affluentibusq; illis quæ omnes ad uitia sollicitant plurimos pertrahunt, nõ otio lentescere, non uoluptatibus eneruari, & ne latum quidem unguem ab officio transuersum dimoueri? Quid hic iugem eius in concionibus industriam, in sacrarum literarũ studijs assiduitatem,

in auita

in auita & Catholica Religione aſſerenda conſtantiſſimum flagrantiſſimumq; zelum, in populo docendo fidem & ſtudium, in lolio & zizanijs uitiorum hæreſumq; omnium euellendis ſedulitatem commemorem? Quæ ſanè omnia cùm Tuæ S. & I.C. ſint perſpectiſſima, uel tuopte, Sereniſſime Princeps, iudicio inuidos potiùs dicendos exiſtimauerim eos, qui has tantas huius uiri uirtutes non admirentur & ſuſpiciant, quàm aſſentatòres, qui prædicent & collàudent. Certè uel ipſius Apoſtoli teſtimonio Præpoſiti qui benè præſunt, duplici honore digni ſunt. Non quòd has laudes ipſi D. Eiſengreinio uiro undequaq; celeber-

rimo placere, aut aliquid splendoris adferre posse existimem, sed quòd aliquam nostræ erga Deum gratitudinis partem arbitrer, non tacere uiros illos per quos tanta commoda largitur humano generi.

Porrò cùm diuersas ac plurimas eiusdem D. Eisengreinij conciones magno totius Germaniæ applausu iam publicatas uiderem, plurimoq; numero distrahi, & maximo fructu lectitari; plerasq; etiam ob arcanum uberrimumq; omnis eruditionis et pietatis thesaurum Latino sermone ab alijs donatas animaduerterem, præter eam quam nuper de sacris Diuorũ reliquijs, religiosisq; peregrinationibus inscriptam,

inſcriptam latinam feci, uiſum eſt ſex Conciones funebres eodẽ ſtudio latinitate donare, in quib. ea quæ ad funus pertinent, uidelicet quomodo mortui lugendi: de Sepulturæ cæremonijs earundemq; explicatione: de ſuffragijs defunctorum, quodq; uiuorũ precibus iuuentur: de loco expiationis, quẽ priſco Eccleſiæ uocabulo appellamus Ignem purgatoriũ: de ſacrificijs pro defunctis inſtituendis: de Primi, Septimi, Triceſimi & Anniuerſarij dici celebratione, quib. defunctorum commemoratio peragitur, doctiſſimè luculentiſſimeq; pertractantur, cõmodiſſimaq; ratione ac methodo explicantur, ſacrorumq; eloquiorũ teſtimonijs ſolidiſſimè cõfirmantur. Argumẽtum huius operis.

Accendebat me ad hunc laborem alacriori animo subeundum, euidens et in multis comperta harum concionum utilitas (non enim desunt qui sola harum lectione inueteratissimas hæreses animo expuerunt) tùm deinde quia Reuerendissimus & Illustriss. Princeps, D. Otho Cardinalis Augustanus, cùm nuper me pro sua erga literarum & uirtutis studiosos summa clementia & benignitate primùm literis mirificam humanitatem spirantibus accersseret, ac deinde mensa & colloquio suo clementer & benignè exciperet, has ipsas Conciones unà cum Authore (cuius uberrimam et incomparabilem in dicendo facundiam,

De Truebes

am, felicissimum ingenium, & tuendæ Religionis feruorem plurimùm commendabat) has, inquam, ipsas concio-nes uehementer prædicabat, latinasq; ut facerem, sedulò hortabatur, plusculum in hoc scribendi genere ingenio studijsq; meis tribuens, quàm promeruisse me existimabam. Cuius sanè tanti Præsulis & Principis, qui instar fortissimi Athlantis πολλῶν ἀντάξιος ἄνδρων, non nomine duntaxàt, sed reipsa præstat se Germanicæ Nationis Protectorem, diesq; ac noctes pro domo Dei sedulum & industrium excubitorem agens, Catholicæ Religionis segetem à Sampsonicarum uulpiũ flammis & incendijs tutatur & uindicat,

huius, inquam, tanti Principis de hoc nostro Authore eiusq; laboribus elogium ueræ solidæq; laudis nomen habere meruit. Nam ut Hector ille apud Næuium referente Cicerone, laudari à laudato, uera demùm laus est.

Nec minora præbuit calcaria, quòd ex Tuæ Seren. & Illust. Celsit. Consiliario & Secretario consultissimo Catholicissimoq; D. Erasmo Vendio intelligebam, Tuam S. & I. Celsit. non solùm parentis mei piæ memoriæ Matthiæ Bredenbachij, sed meos insuper qualescunq; labores hactenùs exantlatos non parùm probare, ergaq; studia mea clementer & benignè

benignè affectam. Vnde cùm nihil in mea supellectile inuenirem, quo meam uicissim ergà Tuam Illustriss. Celsit. obseruantiam contestarer, putaui huius tanti authoris lucubrationes omnium piorum doctorumq; calculo tantoperè collaudatas, meisq; uigilijs quàm potui fideliter ac sedulò in Latinum sermonem conuersas, non indignas fore, quæ Tuæ Seren. & Illust. Celsitud. officiosè et humiliter offerrentur: non ambiguam in spem erectus, quandoquidem Tua S. et I. Celsit. ipsum Authorem sibi habet charissimum, nec me interpretem suo clementissimo fauore dedignatur, quicquid nũc ab utroq; simul proficiscitur, Tuæ

Illus.

Illuſ. Celſ. non ingratum fore. Quam ſpem mihi adauget ſumma Tuæ Illuſt. Celſ. pietas & Catholicæ Religionis obſeruantia, atq; ergà eiuſdem cultores & aſſertores innata clementia & iuuandi deſiderium. Quibus tam præclaris uirtutibus, Sereniſſimi Tuæ Ill. Celſitudinis Maiores uniuerſaq; Bauaricorum Principum familia, ſemper præcipuo quodam atq; admirabili fulgore reſplenduit, eoq; reciproca Dei Opt. Max. pietate factum, ut pleroſq; Reges, Imperatores et Monarchas in eadem Sereniſſima ueſtra familia conſpiciamus.

Enigitur Sereniſſime & Illuſtriſſime Princeps ac Domine Clementiſſime,

ßime, hasce meas uigilias Tuo Illu-
riſſimo nomini dedicatas & conſe-
ratas, Tuæ S. & I. Celſ. humiliter
& obſeruanter offero, orans enixè,
t quas pio ſanè ac religioſo ergà Ca-
holicam Eccleſiam affectu, nec mi-
ori cura & labore elucubraui, cle-
enter & benignè ſuſcipias. Quod ſi
mpetrauero, magnum Tua S. et. I. C.
nbi calcar addiderit ad ſimiles atq;
deò maiores pro domo Dei, pro ſa-
ute & incolumitate Reipubl. Chri-
ianæ, pro aris deniq; & focis labo-
es magno & uirili animo ſubeundos.
Deus Opt. Max. Tuam S. & I.
Celſit. Reipub. ſuæ gubernandæ, Ec-
leſiæ Catholicæ protegendæ, ſtudio-

rumq;

rumq; commodis prouehendis quàm diutißimè felicem, florentem et incolumem conseruet. Datum in Tuæ Ill. Celsit. inclyta Academia Ingolstadiana, Idibus Ianuarij, Anno salutis 1566.

Vestræ Sereniſſimæ & Illuſtriſſimæ Celſitudinis obſeruantiſſimus.

Tilmannus Bredenbachius Embricenſis.

PHILIPPI

PHILIPPI MENZELII
Carmen de Purgatorio.

ERgone sic pietas, sic obseruantia Veri
Exulat, & toto fugiens concessit ab orbe?
Et sunt qui, Veterum protrito calle relicto,
Insuetum sectentur iter, qua nulla priorum
Semita sese aperit nobis, aditumq; recludit?
Quiq; negare ausint, tot iam labentibus annis
Credita, totius uotis concordibus orbis,
Reliquias scelerum flammis Purgantia Regna?
Et sunt, qui renuant mortali corpore functos
Viuentum sentire preces, precibusq; iuuari,
Quas persoluendis præcidere tempora pœnis,
Supplicijq; graues saltem lenire dolores, (strat?
Prisca Fides, monumenta Patrum, experientia mo-
Quin & funereos ad humandum corpora ritus
Nonnulli è medio cupiunt sustollere: ne quid
Scilicet Antiqua de Relligione supersit.
Ergò præire Cruces (nostræ monumenta salutis)
Ceratosq; uetant tumbam præcedere lychnos:
Lustralem execrantur aquam: nec thuris odorem
Ferre queunt. O gens quæ te dementat Erinnys?
Quis nouus iste tuis imponit sensibus error.

Vt Patrum antiquos temerè rescindere mores?
Ac tibi præscriptos ausis transcendere fines.
Nonne fuit satius, te relligione teneri,
Quam coluêre Patres, cœli statione recepti,
Et quibus æternos fama impertitur honores,
Quam commenta sequi dubijs authoribus orta?
Nonne fuit satius uestigia nota uiarum
Quam perplexa sequi, quæ multa per auia tandem
Præcipites uoluunt, huius nouitatis amantes?
Dum licet, huic igitur trito uos reddere calli,
Quem Fidei antistes, ceu murus aheneus, Auitæ
Doctus ISENGRINIVS facundo edisserit ore:
Dum loca uindicibus docet exultantia flammis
Post obitus restare animis: ubi (si quid adhæsit)
Omne nefas ultor sæuissimus excoquat ignis:
A uitijs donec mens defæcata nitescat:
Et cœli tandem sine labe aspiret ad artes.
Dumq; docet uiuos operam non ludere, si qui
Functorum Vita pro libertate precentur,
Pœnarumq; aliquid sic detraxisse laborent:
Adijciens demum quorsum funebria sacra,
Quid sibi Crux, faculæq; uelint, lymphæq; piantes,
Quidq; Sabæus odor, quid uerba precantia signent.

REVEREN-

REVEREN-
DISSIMO PRINCIPI AC DOMI. D. OTHONI,
Sacræ Romanæ Ecclesiæ Episcopo Cardinali Albano & Augustano, Germanicæ Nationis Protectori, Præposito & Domino in Elwang &c. Domino suo Clementissimo.

REVERENDISSIME Princeps ac Domine Clementissime. Non in ueteri solùm Testamento Daniel, uerùm in nouo etiam Dominus & Seruator noster Christus Iesus ipsemet uaticinatus est, antè seculi consummationem staturam in loco sancto, id est, interprete D. Paulo, in Ecclesia Dei, abominationem desolationis. Dan. 12. Matt. 24. 2. Thes. 2.

Iam porrò si utranq; hanc prophetiam aliquanto pensiculatiùs expendamus, & nostri seculi cursum applicemus, prô dolor nimis uerè comperimus iam nunc eas cœpisse adimpleri, ipsoq; euentu comprobari, quæ tot retrò seculis Christus ac Daniel prophetarunt.

Nam prô Deum immortalem hac nostra tempestate in loco sacro, id est, Ecclesia Dei tanta ordinum dissipatio, conuulsio ac deuastatio conspicitur, quanta ab exordio religionis Christianæ nec uisa nec audita est unquam.

Haud ità multùm excedit annum quadragesimum quòd ubiuis locorum in uniuersa Germania, imò non in Germania tantùm, uerùm in cæteris quoque omnibus circuniacentibus ditionibus ac regnis Christianis ità comparatum fuerit, ut uerè de illis
Act. 4. dici potuerit, quod in Actibus Apostolicis de primitiuæ Ecclesiæ Christianis scriptum legimus: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Namq; ut simul omnes unùm duntaxat Deum colebant, ità unam tantùm habebant fidem, unam doctrinam, unam confessionem, nullum inter ipsos erat dissidium, schisma nullum, discordia nulla. Atq; adeò quod auditu mirum est, tametsi Ecclesia Christiana per uniuersum spacioßimumq; orbem

bem sese dilataret, (unde Catholica nuncupatur) maximaq; morum atq; idiomatum in eo sit diuersitas, nihilosecius omnibus seculis omnibusq; in locis, in ritibus & cæremonijs suis eam æqualitatem & consonantiam obseruauit, ut etiam cultum diuinum uniuersum una duntaxat lingua uidelicet Latina, peregerit, ita ut si quis uel extremis uenisset ab Indis, & rem Ecclesiasticam considerasset, solo hoc argumento agnouisset, se inter Christianos uersari, unumq; illis esse cor, animam unam, spiritum unum.

Quid autem? Nunquid et nostra hac ætate eiusmodi in doctrina consensio, & in cæremonijs consonantia seruatur? Equidem in præsentiarum haud multis illud exponam: Cæterùm rei euidentia prâ dolor, nimis clarè summam discordiam & confusionem, quæ in Ecclesia Dei à turbulentis & uertiginosis quibusdam spiritibus excitata est, coarguit, usqadeò ut una in domo difficulter inueniantur duo, qui in omnibus fidei articulis inuicem consentiant: sed plerunq; aliter credit Pater quàm Materfamilias: aliter parentes quàm liberi: aliter ministri quàm ancillæ: quæ profectò tanta opinionum dissensio, magna & summa est miseria & abominatio desolationis in Ecclesia Dei.

Verumenimuerò si penitiùs adhuc Ecclesiam perlustremus, quo pacto agatur cum cultu diuino & Cæremonijs, aliud reuera nihil comperimus, quàm illam ipsam abominationem desolationis, de qua Christus ac Daniel locuti sunt. Nunquid enim plurimis in locis ab auitis, probatis et laudabilibus Ecclesiæ ritibus contumaciter defecerunt? Nunquid multæ, piæ & utiles Cæremoniæ apud mortales summum in contemptum deuenerunt? Nonne quilibet ferè in Ecclesia statuit & abrogat, quicquid suo collibitum est arbitrio? Nemo sanè ire potest inficias: testatur experientia, obuersantur exempla, ipsa coràm ob oculos conspicitur calamitas.

Taceo quòd plerisq; in locis basilicæ illius Regis gloriæ prorsùs desertæ iacent ac deuastatæ. Plures iam tabernas, Oenopolia & Balneas uidemus, quàm Ecclesias ac domus Dei. Multis sanè in locis funditùs dirutæ sunt ac dißipatæ: aut ubi adhuc existunt, stabulādis equis, aut tormentis bellicis, uenationibus, pulueri tormentario alijsq; id genus usibus destinatæ sunt: aut si omninò aliquam Ecclesiæ faciem alibi retinuerunt, utiq; desertæ ac deformatæ sunt, & planè tales Ecclesiæ, in quibus illa desolationis abominatio, de qua Daniel & Christus uaticinati sunt, clarißimè conspicitur.

Siquidem

Siquidem non istic canuntur preces Matutinæ, non Vespertinæ, nullum legitimum Officium, nullæ Vigiliæ, nullæ Psalmodiæ funebres, non thura, non aqua lustralis, non sal benedictus, non cerei, non palmæ seu rami benedicti. Non istic usitatur Confirmatio, non Confessio, non Organorum concentus, non extrema Vnctio. Non ordinantur Sacerdotes, non uelantur Virgines, non anniuersariorum solennitas obseruatur, Sancti in honore non habentur, Cerei non accenduntur, Missæ sacrificium non peragitur, non tabulas, non imagines, non altaria, non sacraria, non cryptas, non baptisteria, non uexilla, non cruces, non sacras pallas, non Albas, non Dalmaticas aliáq; id genus istic haberi uidemus. Atq; ut rem in pauca contrahamus, in plurimis Christianæ ditionis locis haud multò cultiores et ornatiores uidemus Ecclesias, quam Tabernas, aut solaria rei frumentariæ aut palæstræ saltatoriæ destinata.

Cæremoniarum Catholicarum confessio

Porrò si quis fortè existimet, hæc aliqua ratione tolerari posse, quòd maiori ex parte sint eiusmodi, ex quibus salus & felicitas animarum nostrarum non dependeat, hic uniuersos sanctissimæ fidei nostræ Christianæ articulos à primo ad nouissimum sibi proponat, & reipsa comperiet eosdem hac tempestate oppugnatos, luxatos & in controuersiam

raptos, usq; adeò ut ne ipsa quidem sacrosancta & indiuisa Trinitas sui certitudinem retinuerit. Tametsi enim ex fundamento Propheticarum et Apostolicarum scripturarum citrà omnem ambiguitatem credamus, doceamus & profiteamur, unicum, uerum æternumq; Deum, omnipotentem, creatorem et conseruatorem cæli & terræ, uisibilium omnium et inuisibilium: Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, qui licet tres sint distinctæ personæ, unus tamen sint Deus, coæquales in diuina substantia, gloria, honore, sapientia, potentia, & maiestate æterna, ex quo, per quem, & in quo, ut scribit Paulus, sint omnia: nihilosecius hisce nouissimis
Rom. 11. temporibus quosdam inuenimus, qui hunc articulum impugnare & proteruo sacrilegoq; ore negare non expauescunt: uti & uiro cuidam docto intolerabile uisum est Christum, (horresco referens) adorari, sed solum Deum Patrem per Christum, aut in Christi nomine adorandum.

Volo nunc gratæ breuitatis ergò reliquos fidei nostræ Christianæ articulos et septem Sacramenta, per quæ ueluti media & canales quosdam Optimus benignissimusq; Deus diuina sua dona et charismata munificè nobis communicat, nunc autem non solùm oppugnata sunt, & in controuersiam uocata, uerum-

uerumetiam in ſummum contemptum adducta, hæc, inquam, nunc ſilentio præteribimus.

Eſtne autem immanis & horribilis abominatio, quòd poſt annos mille quingentos demum articuli Religionis noſtræ quos hucuſq; tanta conſenſione ac deuotione credidit ac docuit Eccleſia, in dubium adducuntur? Eſtne hæc ipſiſſima abominatio deſolationis, de qua Chriſtus ac Daniel prophetarunt, futuram ſcilicet eam antè mundi conſummationem in Eccleſia Dei? Quòd ſacratiſſima auguſtiſſimaq; Sacramenta, quæ ueluti uaſa ſunt & inſtrumenta, in quibus Chriſtus merita & chariſmata ſua nobis offert, ut uti & frui illis poßimus ac debeamus, in eiuſmodi contemptum deueniunt, ut ex ſeptem uix duo, Baptiſmus uidelicet & Sacramentum Altaris ſeruentur, eo tamen penè modo cum illis agitur, ac ſi cum reliquis ſint abolita. Si- Ioan. 3.
quidem Baptiſma, quod ex ui uerborum Chriſti ſem- Auguſt.
per reputatum eſt Sacramentum neceßitatis, non epiſt. 28.
ampliùs creditur infantibus ad ſalutem neceſſarium. De Euchariſtia uerò non iam ampliùs creditur (quicquid etiam dicat Chriſtus) uerum eius corpus & ſanguinem, uerè & ſubſtantialiter in ea præſens exiſtere.

Mea ſententia præfractum et excœcatũ eſſe opor-

tet eum, qui non uideat imò etiam tangat, hanc ipſam eſſe abominationem deſolationis in Eccleſia Dei, quam Daniel & Chriſtus prædixerunt, per quam non ſolùm Chriſti fideles hoc in mundo adhuc degentes, gratiâ & præſidio diuino, uerumetiam defuncti omni refocillatione & humano ſuffragio ſpolientur.

Cùm enim iam inde ab Apoſtolico ſeculo quouis tempore & ubiq; per uniuerſas totius orbis plagas, quas quidem incolunt Catholici Chriſtiani, laudabilis hæc conſuetudo religioſè ſeruata ſit, ut pro defunctorum animabus preces fiant & orationes ad Deum, ut propter meritum unigeniti filij ſui Domini & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, illis ſit propitius, peccata ignoſcat, æternamq; beatitudinem illis ex gratia ſua largiatur: eccè prorumpit ille noſtræ ſalutis hoſtis, ille malicioſiſſimus Satan, per ſuos miniſtros, nec ullo pacto illud nobis permittit. Non quòd ullo ueritatis colore (quantumuis conetur) demonſtrare queat hunc morem Euangelio & ſynceræ doctrinæ contrariũ: ſed ut quemadmodum pridem uiuos adductis in contemptum ſalutaribus Sacramentis, donis & chariſmatis diuinis priuauit: ita et hic defunctis, peccatorum expiandorum cauſa fortè pœnis quibuſdam adhuc

obnoxijs

obnoxijs omne auxilium & ſuffragium humanum ſubtrahat, & in ſumma, tandèm abominationem deſolationis, de qua Daniel & Chriſtus uaticinati ſunt, inuehat: quo demùm fit, ut Dei Opt. Max. honor, et miſerrimorum Chriſtianorum ſalus horrendum in modum impediatur.

Hæc ego, Reuerendißime Princeps & Domine Clementißime dum conſidero, & penſiculatiùs expendo, haud immerito totus tremo & exhorreo, nec ſinè lachrymis ſummam hanc calamitatem & abominationem deſolationis in Eccleſia Dei aſpicere poſſum. Cæterùm præter alias multas rationes, à prudentibus ac doctis quibuſdam propoſitas, quibus hæc deſolationis abominatio, quæ annis retrò quinquaginta inualuit, queat aboleri, uidetur mihi huic malo profligando præter alia etiam iſtud non inutile futurum, ſi Eccleſiaſtæ in Concionibus ſuis enixè in hoc allaborent, ut & fideliter & ſæpenumerò, & quandocunq; daretur occaſio eos ſacræ Religionis noſtræ Chriſtianæ articulos pertractent, qui nunc potißimùm in controuerſiam rapiuntur, & contrà ueterem auitamq; doctrinam et conſuetudinem Eccleſiæ Catholicæ in perniciоſißimam opinionem adducuntur rudiq; uulgo ignominioſis & inuiſis appellationibus inſtillantur, & magna

ex parte, instar abominationis subducuntur.

Quocirca ipse ego enarratas causas una cum Ecclesiastico munere quod mihi licet indigno, Deus Opt. Max. ex sanctæ uoluntatis suæ decreto in Ducatu Bauariæ commisit, considerans, illud in publicis meis concionibus, non sinè magno labore & industria conatus sum, ut quascunq; materias controuersas pro occasione dominicalium Euangeliorum auditoribus meis fideliter pro ingenij mei tenuitate explicarem, genuinamq; in huiusmodi Catholicæ Ecclesiæ sententiam purè & syncerè declararem, & è diuerso futilia & uana malicioßimi Satanæ, ipsiusq; ministrorum conuitia detegerem.

Qui meus labor (quo nihil aliud quàm periculoßimos errores auertere, ueritatem asserere, Deiq; honorem & Reipubl. felicitatem promouere conatus sum) piorum quorundam hominum iudicio, fructu suo, opitulante gratia diuina, non est destitutus.

Porrò hoc eodem proposito non multò ab hinc tempore hic Ingolstadij in Paræciali mea Ecclesia ad D. Mauritium, sumpsi mihi occasionem ex Euangelio Lucæ septimo, de uidua cuius unicus filius defunctus erat, auditoribus meis declarandi, fuseq; et copioßè explicandi Cæremonias et suffragia, quæ

apud

apud Catholicos defunctis præstari solent. Quæ Conciones meæ (absit dicto arrogantia) Deo cooperante, auditoribus meis usq; adeò placuerunt, ut pij quidam ex ipsis existimarint, si easdem typis euulgarem, plurimos alios Christianæ pietatis amantes qui forte in hisce articulis à uerò aberrassem, ad ipsam ueritatem conuertendos: alios uerò qui hactenùs in auita, Ecclesiastica & Apostolica doctrina & consuetudine constantes permanserint, deinceps alacrioribus animis in munita & confirmata ueritate perstituros, nec facilè ad errores declinaturos. Cui tam synceræ illorum sententiæ non uolui, nec fortasse debui me opponere, eoq; has Conciones publicè habitas ad incudem reuocaui, & sicubi necessum fuit emendatas, ad excudendum adornaui.

Quòd autem hunc meum qualemcunq; laborem Tuæ Reuerendiß. Celsit. nuncupauì, aliud nihil me commouit, quàm summus ille ardentißimuq; zelus, quo Tua R. C. ergà ueram, Catholicam & solùm saluificantem fidem affecta est, magna cum fiduciæ et in omni subiectione mihi promittens, quandoquidem Tua Reuer. Cel. nihil sibi æquè commendatum habet, quàm eiusdem Catholicæ fidei conseruationem & propagationem, eandem Tuam R. C. hasce

nostras

nostras Conciones eundem in scopum destinatas clementer à me suscepturam.

Equidem & alias materias controuersas, quas itidem pro concione pertractaui, et oportuno tempore publicaturus sum, absolutas habeo: malui tamen in præsentiarum has sex Conciones de suffragijs defunctorum præ cæteris producere, ac Tuæ R. C. consecrare: non ideò duntaxàt, ut rudes & plebæi homines de exequijs potentißimi Imperatoris Ferdinandi pientißimæ memoriæ, pridē apud omnes Catholicos celebratis, ex sacris diuinisq; literis instituerentur, quis uidelicet eiusmodi pomparum funebrium sit scopus, quæ origo, quodq; non externum duntaxàt sit spectaculum & mera cæremonia (prout nonnulli deblateram) sed opus diuinis in scripturis fundatum, defunctisq; fidelibus admodum utile sit & necessarium: uerumetiam quandoquidem Tua R. C. huiusmodi exequias singulari cum deuotione peragere, & orationes pro defunctis diligenter frequentare consueuit: uti hoc ipsum Tua R. C. in exequijs duorum Imperatorum augustißimæ memoriæ Caroli V. proximis Comitijs Augustanis celebratis, pientißimiq; Imperatoris & Patriæ Patris Ferdinandi, (quas ipsamet, Tua R. C. peregit) abundè satis demonstrauit.

Quamobrem

Quamobrem Tuam R. & I.C. enixè & humiliter obsecro, ut hunc exiguum quidem, attamen optimo affectu in hisce funebribus Concionibus nunc recenter excusis exantlatum laborem & industriam clementer suscipiat, meq; et studia mea suæ Clementiæ commendata habeat, eandem Tuam R. C. cum subditis eiusdem opulentissimæ Dei gratiæ humillimè commendans, qui Tuam R.C. et nos omnes in hisce periculosis temporibus ab omni animæ, corporis, famæ et facultatum detrimento protegat, in uijs et semitis suis deducat et conseruet, et post hanc miseriam, in regnum suum æternum misericorditer admittat, Amen. Datum Ingolstadij ipsis ferijs D. Andreæ, Anno 64.

T.R. & I.C.

Subiectissimus Sacellanus

Martinus Eisengrenius
SS. Theologiæ Licentiatus & Præpositus
Mosburg.

EVAN-

EVANGELIVM DOminicæ XVI. poſt Trinitatis. Lucæ vij.

ACTVM est deinceps, ibat Iesus in ciuitatem quæ uocatur Naim, & ibant cum eo discipuli eius & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, eccè defunctus efferebatur filius unicus matris suæ, & hæc uidua erat. Et turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm uidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi:

illi: Noli flere. Et accesſit & tetigit loculum. Hi autem qui portabant ſteterunt. Et ait: Adoleſcens, tibi dico ſurge. Et reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes:

Quià Propheta magnus
ſurrexit in nobis, &
quià Deus uiſitauit plebem
ſuam.

EXPLI-

EXPLICATIO.

QVOMODO LVGENDI SINT mortui, & piè, Christianè honestèq; sepeliendi.

IN HODIERNO EVANgelio, *quod uestra humanitas & deuotio de uerbo ad uerbum modò ex me audiuit, spectaculũ nobis proponitur hisce nostris calamitosis temporibus haud nouum neq; insolitum. Ex ciuitate Naim efferebatur funus. Ingolitas dij & in omnibus penè finitimis ciuitatibus, oppidis & pagis passim nunc ab annis duobus, singulis*

hebdomadibus, imò et singulis penè diebus frequentiora solito funera sepulturæ mandantur. Quocirca pensiculatius aliquantò contemplabimur & expendemus, si fortè adiuuante diuina gratia quippiam ex eo discamus, quod nobis erudiendis hac tempestate conferre queat.

Et principiò quidem colligimus, uiduam hanc filij sui mortem non immeritò ægerrimè tulisse, luctuq; et lachrymis deploraſſe. Etenim si fidelis amici mortem lugemus, quantò magis miserabilis uidua dolere debuit, quòd in extrema senectute sibi filius, isq; unicus, & solamen senectutis suæ ereptus sit.

Eccle. 38.

Ierem. 6.

Omnem illa solatij spem & fiduciam, in hac graui senectute & uiduitate sua in hunc unicum filium suum collocauerat, et eccè cum uel maximè eius egeret, truculentæ mortis uiolentia, illum abripuit. Vix ullus mortalium satis considerauerit, quantus ille fuerit dolor, quanta miseria, quanta animi carnificina. Materni animi forsan idipsum exactiùs apud se considerauerint, quàm nostra exponere queat oratio, quid sit filiolum, eumq; dilectum, atq; adeò unicum amittere: haud mirum si eiuscemodi matri ipsum cor præ mœrore & luctu disrumperetur: neq; enim maior est amor quàm matris in filium, atteſtante illud Regio Propheta Dauid, cum do-

2. Reg. 1.

lorem

lorem ex obitu Ionathæ conceptum ſignificans diceret: Doleo ſuper te frater mi Ionatha. Sicut mater amat filium ſuum, ità & ego te diligebam.

Attamen his omnibus non conſideratis, quòd filium unicum amiſerat flebilis & paupercula mulier, quòd in ſenili ætate ſola iam foret ac derelicta, quòd in hac ſua uiduitate neminem penè habebat, à quo premente aliqua neceſsitate multùm auxilij ſperare poſſet, quodq; ſummatim dicendo, iuſtiſſimas, maximas grauiſſimasq; legendi & plorandi cauſas habebat, quæ uel ſaxeum pectus meritò commouiſſent, his inquam, omnibus non conſideratis, non ſuſtinet Chriſtus Dominus, ut ob filij mortem plus æquo ſeſe excruciet & affligat, dicens: Noli flere: Sed quomodò non lamentetur & ploret ereptum ſibi hodiè unicum chariſſimumq; filium? Chriſtus Dominus tamen claris ac diſertis uerbis eam flere prohibet. Noli, inquit, flere, ſis animo bono, dolori huic tuo breui medebitur.

Ex hoc igitur diſcimus, ne ſi quandoq; coniunctiſſimos nobis amicos, utpote Parentes, ſorores aut fratres præter opinionem nobis per mortem eripi contingat, nimio dolore nos conficiamus, prout nonnunq; inueniuntur qui ob amici cuiuſpiam obi-

tum tantoperè eiulant, singultiunt & plangunt, ut parùm abesse uideantur ab insania. Absit à uobis, auditores, eiusmodi luctus. In hodierno Euangelio filium unicum uidua mater amiserat, nihilominus audit á Christo: Noli flere.

Porrò non aliud hîc persuasum habere debemus, quàm omnibus nobis hanc dictam esse sententiam. Moritur tibi pater, mater, soror, frater, uxor, maritus, filius, filia, soboles unica, dicit tibi Christus Dominus: Noli flere, id est, (ut clariùs intelligantur Domini uerba) Ne dolor tuus sit immodicus, ne nimis anxio sis animo, ne luctus tuus modum excedat. Non eiulabis, non planctu insano tumultuaberis. Non talem te præbebis, quales nonnulli, qui nullius prorsus hominis consolationem admittunt. Hæc est genuina uerborum Christi ad uiduam sententia: ad uniuersos autem & singulos pertinent, Noli flere.

Explicatio uerborum Domini, Noli flere.

Verumenimuerò quamobrem ob amici alicuius mortem non fleamus? aut qui fieri queat ut mulier aliqua paupercula, obitum sui mariti, qui sex aut septem illi sine cibario pane reliquerit liberos, non lugeat, non plangat, non deploret? Breuiter respondeo, eiuscemodi in casu neminem debere talem tamq; afflictam & miserandam mulierem proteruè luctu & doloris

& doloris arguere. Est enim res misera & deploranda, uidua tenerorum & penè lactentium adhuc pupillorum mater, præcipuè hoc maligno ac difficili seculo quo plerunq; cognati & amici penè omnes eam deserunt, quo gratitudo & misericordia prorsus sublata est. Attamen summoperè cauendum est, ne insano eiulato, lacerandis uestimentis, uellendis capillis, & Nenijs ethnico ritu modum excedat, illud enim planè uetat Christus Dominus in hodierno Euangelio uerbis illis sæpè iam commemoratis, quibus uiduam allocutus est, Noli flere.

Ac tametsi abundè nobis satisfacere debeat, ità ut alias causas non inquiramus, quamobrem defuncti plus æquo lugendi non sint, quandoquidem iam nunc audiuimus, in hodierno Euangelio præceptum ab ipso Christo Domino, in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sunt absconditi, eoq; omnia sapienter in numero, pondere & mensura, & in summa eo quo decet modo disponit: nihilominus quid uetabit quominus in gratiam rudiorum et simplicium, causas ob quas iuxtà hodiernum Christi mandatum defunctos nostros immodico luctu plorare non debeamus, quantùm ingenij nostri tenuitas permiserit, per gratiam Dei aliquantò exactius perscrutemur?

Col. 2.
Gen. 1.
Sap. 11.
Psal. 103.

Licet enim fieri non poßit, ut humani ingenij imbecillitas, arcana diuinaq; mysteria omnia, tam in hoc thematio, quam in alijs poßit inueſtigare: nam
Rom. 11. incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles uiæ eius, nec quiſquam ſenſum eius cognouit, aut conſiliarius eius fuit, ut ſcribit Apoſtolus: Nihilo ſecius ſi hæc Chriſti Domini uerba accuratiùs expendamus, comperiemus arduas & graues ſubeſſe cauſas, cur ijſdem uerbis nobis præceperit, ne immodicè diſcruciemur, ſi amicus quiſpiam morte nobis eripiatur.

Prima ratio cur mortui non ſint immodico luctu plorandi.

Principiò enim exploratum illud habet ueſtra humanitas, aut ſanè cuiuis uerè Chriſtiano exploratum eſſe debet, Mortem eſſe debitũ uniuerſitatis. Quodſi rem non intelligas, diſertis ac rotundis uerbis eam declarabimus. Si quis debitum aliquod iniuerit, eoq; demũ uelit exonerari, neceſſum eſt ut quod debet, exoluat. Iam porrò uniuerſum genus mortaliũ, quotquot ab orbe condito, uixerunt, uiuunt & uicturi ſunt, nemine excepto, nec nobili, nec ignobili, nec paruo nec magno, iuuene aut ſene, fœmina aut uiro, diuite uel paupere, Deo præpotenti mortem debent. Huic debito nos inuoluit primus parens noſter Adam, eius expreſſum Dei mandatum præuaricatus, de uetito fructu arboris ſcientiæ boni & mali comedit.

dit. Quocunq; die ex eo comederis, inquit Deus, morte morieris. Gen. 2. Chryſoſt. in 3. cap. Geneſ. hom. 13. Rom. 5. 1. Cor. 15.

Quamprimùm igitur Adam ex hac arbore comedit, Dominiq; & Creatoris ſui mandatum uiolauit, neceſſariò mori debuit, omnesq; eius liberi et poſteri, & quotquot ex Adam propagati ſunt, uiri & mulieres, parui & magni, ſublimis & plebeiæ conditionis ſine delectu omnes mori debuerũt. Ait enim Paulus: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ità in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Rom. 5. Debitum hoc per primum parentem noſtrum Adamum contractum eſt, quod non ipſe tantum ſuapte cute luere debuit, uerumetiam homines uniuerſi tanq; hæreditaria ſucceßione eidem obnoxij, aduſq; finem mundi neceſſum habent exoluere.

Quid proderit igitur ſi multum te diſcrucies, atq; adeò luctu te penitùs conficias ob mortem amici, imò eadem in ſcrobe te cum ipſo conſepeliri permittas? cùm audias, uideas & intelligas, omnes nos eſſe mortales ſimilemq; ſortem oẽs manere, atq; adeò nobis ipſis eandẽ imminere haud minus hodierno die quam craſtino. In ſumma, quandoquidẽ exploratißimum habes, mortem eſſe debitum uniuerſitatis, quod

Eccles. 4. parens noster Adam per inobedientiam suam contraxit quod uniuerso mortalium generi exoluendum incumbit. Nec quisquam est tam industrius, nemo tam eruditus, nemo tam excellens, nemo tam generosus, nemo tam diues, nemo tam fortis, nemo tam potens, nemo tam syncerus, nemo tam malignus, nemo tam floridæ, nemo tam senilis ætatis, ut queat effugere, hunc in ordinem omnes cogi oportet, huius symboli partem uiritim singuli coguntur exoluere: non hic medicorum iuuant pharmaca, non doses, non pillulæ, non purgationes, non herbæ quantumuis salutares.

Sap. 7.

Chrys. in cap. 3. Matth. Hom. 13.

Insinuarunt illud ueteres prouerbiali hocce monosticho, Contra uim mortis non est medicamen in hortis. Vtiq; nullis in hortis eiusmodi panacea reperitur: nam ut testatur Apostolus, Statutum est omnibus hominibus semel mori. Quis est homo qui uiuet, et non uidebit mortem? inquit Propheta, quasi dicat, nemo mortalium in uniuerso orbe. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram quæ non reuertuntur.

Heb. 9. Psal. 88. 2. Re. 14.

Neq; enim quisquam ex ueteribus superstes existit, omnes istud humanæ naturæ debitum semel persoluere debuerunt. Vbi doctissimus Plato? Vbi solertissimus Philosophorum Aristoteles? Vbi Porphyrius?

gius? Vbi omnium mortalium disertißimi Oratores Cicero & Demosthenes? Vbi fortißimus bellator Iulius Cæsar? Vbi totius orbis domitor Alexander Magnus? Vbi bellicosißimus Achilles? Vbi Hector? Vbi cæteri infiniti potentißimi præstantißimiq; uiri, qui iam olim hoc in mundo claruerunt, et sua ætate cæteris hominibus magna & præcipua æstimatione præstiterunt? Quo tandem hi tam insignes & rerum gestarum magnitudine celebres uiri uniuersi deuenerunt? Baruch Propheta idipsum nobis declarat, inquiens, Exterminati sunt et ad inferos descenderunt. Atq; ut sacris quoq; ex literis exempla producamus. Baruch. 3.

Vti Salomon sapientißimus? Vbi Absolon pulcherrimus? Vbi Sampson fortißimus? Vbi μακρόβιοι illi & longæui Patres quos legimus antè Cataclysmum ultrà 900. annos uixisse? Quorsum hi tam præstantes, egregij & pietate insignes uiri uniuersi concesserunt? Quo autẽ conceßissent? Omnes in uniuersum mortui sunt, nec quisquam illorum est superstes. Omnes debitum illud per primum parentem Adamum contractum necessariò exoluerunt. Non illis senectus, non iuuentus, non sapientia, non fortitudo, non forma, non artes, non facundia nec quicquam rerum humanarum, immunitatem præstitit. Gen. 5.

Gen. 5. Primus noster parens Adamus nongentos triginta annos uixit, demùm tamen mortem effugere non potuit.

Seth itidem nongentos duodecim annos uixit, sed mori tandem coactus est.

Enos quoq; nongentos uixit & quinq; annos, at tamen postea, uelut alij, fatis concessit.

Gen. 15. Post diluuium Abraham centum septuaginta quinq; annos uixit, Iudices quoq; Othoniel, Gedeon, Iephte, & Reges longo satis tempore uixerunt, cæterùm fatali eorum termino imminente, nemo unq̃ mortem euadere potuit, quæ citrà ullam προσωποληψίαν & personarum respectum omnes abripuit, nullo superstite derelicto.

Quandò igitur mortales uniuersi ad mortem semel obeundam Deo deuincti sunt: quandoquidem ità statutum est, & in consilio sanctissimæ Trinitatis ità Laert. li. 2. cap. 3. concluſum, ut omnes homines mori oporteat: quandoquidem nec herbæ nec medicamenta ulla, nec pulchritudo nec robur, atq; adeò nihil in toto terrarum orbe hominem debita morte queat exoluere, quid prob Deum immortalem tantopere te exagitas, si quandò mors charum quempiam amicum tibi eripiat? cùm frustrà illud & incassum facitites, nec fieri poßit ut tuo eiulatu, lamentis & querelis, naturæ legem

legem, qua uniuersi homines morti sunt obnoxij, queas mutare. Cicero in Tuscul.

Quinimò, luctus ille tuus et eiulatus non tantũ superuacaneus est et inutilis, uerumetiã ineptior es hac in parte & peior Ethnicis quibusdã & infidelibus. Quæst. Gal. Ahor. 1.

Illi siquidem probè intellexerunt & considerarunt, nostrum in hoc mundo incolatum non esse perpetuum, imò ne diuturnum quidem, eoq; uitam humanam, nunc umbræ, nunc somnio, nunc fabulæ, nunc fulo, fumo, pulueri, bullæ & id genus caducis momentaneisq; rebus comparærunt, quo significare uoluerunt, uitam nostram in hoc mundo exiguo tempore durare, hominesq; uniuersos exoluendo mortis debito obnoxios. Verg. 10. Aeneid. Item Iliad. 6. Plin. li. 7. Sophocles in Aiace. Eurip. in Meleagro.

Quamobrem potentissimus ille Macedonum Rex Philippus Alexandri Magni pater, ministrum quendam in hunc finem habuit, ut quolibet die, manè ipsum accedens dictitaret, Philippe, homo es, eoq; & tu generis humani debitum cogêris persoluere, & fatali tempore fatis concedere. Laërt. li. 9. cap. 11. Plutarch. in Apop. Reg. & Imperat.

AEgyptij uerò, ut nunq; ea cogitatio hominum animis excederet, hanc consuetudinem habuerunt. Cælius Rhodo. li. 19. c. 33.

Quandocunq; frequens aliquod aut solenne erat conuiuiũ, humani cadaueris simulacrum ad hoc sculptũ, circunferebant et conuiuis exhibebant, quo mortis memoriam illis refricarent. Nos lect. Anti.

Nos uerò Christiani, qui per gratiam Dei omnipotentis, uiam ueritatis longè clariùs quàm Gentes cognouimus, instar brutorum uitam agemus? nunquam finis & obitus nostri recordabimur?

Et si quandò Deus iuxtà placitum suum hominem quempiam nobis dilectum morte hinc euocauerit, ob hoc murmurabimus, queritabimur, plorabimus, eiulabimus & uelut insani tumultuabimur tales q; nos exhibebimus, quasi malè nos habeat, aliterq; Deum fecisse decuerit? Absit auditores, Dominus et seruator noster nulla ratione illud nobis permittit, Viduæ iustißimæ unicum filium lugendi causa habenti, ait: Noli flere. Quamobrem? Vestra humanitas & deuotio, auditores, abundè nunc audiuit: mors.n. debitum est uniuersitatis, uniuersæ, inquam naturæ humanæ, q; ab omnibus persolui necessum est, quorsum igitur luctus, eiulatus & querelæ?

Altera ratio cur defuncti non sint immodicè lugendi.

Deinde & hanc rationem habet, cur amici mortem immodico luctu prosequi non debeamus, quòd ex sacris literis certum exploratum q; habeamus, neminem mori citrà Dei omnipotentis uoluntatem. Ne capillus quidem capitis uestri decidet in terram sine uoluntate patris mei, inquit ipsa ueritas, quæ nec mentiri nec fallere potest.

Luc. 12.

Heb. 6.

Ioan. 14.

Quantò minus igitur anima humana à corpore separari

separari potest, sinè præscientia et uoluntate illius, qui de seipso dixit: Habeo claues mortis & inferi? Apoc.1.

Proxima igitur est & certissima uia, siquandò Deus deuinctum aliquem nobis amicum ex hoc mundo euocauerit, neutiquam immodico, superuacaneo & indecenti luctu & ploratu diuinæ uoluntati nos opponamus, quandoquidem assiduè in oratione dominica eam fieri petimus: sed potiùs cum sancto patientissimoq; Iob dicamus: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ità factum est: sit nomen Domini benedictum. Prout ipse Dominus et Seruator noster de sua morte pronuntiauit: Non sicut ego uolo Pater, sed sicut tu uis. Matth.6. Matt.26.

Eundem in modum cuilibet nostrum dicendũ fuerit, siquandò dilecto nobis amico destituamur: Si Deo Opt. Max. ità uisum fuisset, optauerim illũ diutiùs superstitem: cæterùm quià aliter diuinæ Maiestati placuisse uideo, mihi quoq; idem placere debet.

Tertia ratio, quamobrem ex ui uerbi quod Christus hodiè ad mulierculam locutus est, defunctos immoderato luctu plorare non debeamus, hæc est, quòd omnis luctus, ploratus & eiulatus, quo defunctum prosequimur, incassum fiat & frustrà. Tertia ratio cur mortui non sint immoderatè plorandi.

Ac tametsi lachrymis te penitùs conficias, si dies ac noctes plores & lamenteris, si omnem uitam in dolore

in dolore & mœstitia transigas, nec unquam exhilarari sustineas, nihil tamen uel tibi uel defuncto lucrifeceris.

Vnde eiusmodi quærelæ, quas nonnulli profundere consueuerunt, non solùm aduersantur uoluntati diuinæ, uerumetiã inutiles sunt & superuacaneæ, eoq; præstiterit Regij Prophetæ Dauidis exemplum hic imitari, de quo legimus, quòd cùm adulterium cum Bersabea Vriæ uxore designasset, et præter illud curasset Vriam in acie exercitus constitui, ut hac ratione occideret, accessit ad Dauidem præcipiente Domino Nathan Prophetã, & inter cætera locutus est. Fecisti malũ in conspectu Domini. Quamobrem non recedet gladius de domo tua usq; in sempiternũ, & suscitabo super te malũ. Tu.n. fecisti absconditè, ego autem faciam uerbũ istud in conspectu omnis Israël.

2. Reg. 12 Historia de mortuo Dauidis infante.

Ad hæc respondit Dauid: Peccaui Domino, dixitq; Nathã ad Dauid. Dominus quoq; transtulit peccatum tuum, non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomẽ Domini propter uerbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.

Et uix reuerso domum Nathan, percussit Dominus paruulum quem pepererat uxor Vriæ Dauid. Deprecatusq; est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit ieiunio, & ingressus seorsùm, iacuit super terram.

terram. Venerunt autem Seniores domus eius, cogentes eum ut surgeret de terra. Qui noluit nec comedit cum eis cibum. Accidit autem die septimo ut morereturinfans, timueruntq; serui Dauid, nunciare ei quòd mortuus esset paruulus, dixerunt enim. Ecce cùm paruulus adhuc uiueret loquebamur ad eum, & non audiebat uocem nostram, quantò magis si dixerimus, mortuus est puer, se affliget?

Cùm ergò Dauid audisset seruos suos mussitantes, intellexit quòd mortuus esset infantulus. Dixitq; ad seruos suos. Num mortuus est puer? Qui responderunt ei mortuus est. Surrexit ergò Dauid de terra & lotus unctusq; est. Cumq; mutasset uestem, ingressus est domum Domini, & adorauit, & uenit in domũ suã, petiuitq; ut ponerent ei panẽ & comedit. Dixerunt autem serui sui. Quis est sermo quem fecisti? propter infantem cùm adhuc uiueret, ieiunabas et flebas, mortuo aũt puero surrexisti & comedisti panem.

Qui ait, propter infantem cùm adhuc uiueret, ieiunaui & fleui. Dicebam enim. Quis scit si fortè donet eum mihi Dominus, & uiuat infans? Nunc autem quiá mortuus est, quare ieiuno? Nunquid potero reuocare eum amplius? Ego uadam magis ad eum, ille uerò non reuertetur ad me. Quasi dicat,

Vanum,

Vanum, superuacaneum & inutile fuerit si anxiè me affligam, cùm in uitam eum reuocare non possim. Itidem & nobis faciundum erit, & quandoquidem lachrymæ & lamenta defunctis nihil conferunt, prætermittendæ sunt.

Quarta ratio, cur defuncti non immodicè lugendi.

Quarta ratio, cur ex ui uerborum Christi, Nolite flere, defunctos immoderato luctu plorare non debemus, hæc est, Quòd in duodecim sacrosanctæ fidei nostræ Christianæ articulis inter cætera etiam credamus & profiteamur Resurrectionem Carnis, id est, quòd in nouissimo die, non animæ tantùm quæ per se sunt immortales, uerumetiam corpora humana ex sepulcris exurgent & cum animabus æternum uiuent, quod eò maiorem apud nos certitudinem obtinet, quandoquidem in sacris diuinisq; literis adeò clarè & luculenter expressum est, ut uix quicquam clariùs ac luculentiùs dici possit.

Ioan.12. 1.Cor.15. Iob.19.

Nam ut gratæ breuitatis ergò silentio prætream, quæ Christus & Paulus de eo docuerunt, audiamus integerrimi patientissimiq; Iob sententiam. Scio, inquit, quòd redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea uidebo Deum. Quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

Cum

Cum itaq; nullum penes nos Christianos dubium esse nec debeat nec possit, quòd obita morte naturali corpora nostra per uirtutem Omnipotentis iterum ex terra resuscitanda sint, animabus unienda, & sine fine in æternum simul regnatura, utiq; mea sententia, non indecens tantum uerumetiam scripturis diuinis contrarium fuerit, si ob mortem amicorum immodico mœrore nos discruciemus. Vnde et D. Paulus in eandem sententiam scribens, Nolumus, inquit, uos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ità & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo etc. Itaq; consolamini inuicem in istis uerbis. 1. The. 4.

Qua sententia sanctus Apostolus abundè significat, Ethnicis quidem & infidelibus esse causam lugendi mortem amici, cùm resurrectionem carnis ignorent, nec credant, nec audiuerint. Chrys. in Epist. ad Philem. cap. 1. hom. 3.

Longè diuersum est cum Christianis: quia enim ex diuinis scripturis de carnis resurrectione satis edocti sumus, certumq; & exploratissimum habemus, obita semel morte naturali, iterum nos resurrecturos, iterum congregandos, inuicem nos conspecturos, agnituros & cohabitaturos in cœlesti Hierusalem in æterna secula atq; adeò in summa lætitia &

beatitudine, sine fine simul uicturos: nullam profecto idoneã legitimamq; rationem habemus immodico luctu fratrem aut amicum (utiq; paulò post resuscitandum) deplorandi, quod D. Paulus non solùm docere uoluit, cùm ait: Contristari ob defunctos Christianis et fidelibus non conuenire, sed infidelibus, qui spem nõ habent, qui resurrectionẽ ignorant, uerumetiam, quia defunctos ibidem non mortuos, sed dormientes uocat, uti & anteà Christus Dominus eos non aliter appellârat.

Christianorum mors somnus est.

Cùm Principis illius filiam resuscitaret, dicebat, Puella non est mortua, sed dormit.

Cùm Lazarum defunctum uitæ restitueret, itidem dicebat: Lazarus amicus noster dormit. Quib. uerbis utiq; Christus idem quod Paulus in adducta sententia docet, nobis insinuatũ uoluit, uidelicet mortem nunc porrò nihil aliud esse, nec pro alio habendam, quam somno, quòd mortui non secus ac dormientes uirtute diuina queant exuscitari.

Matth. 9. Ioan. 11. Chrysost. in Ps. 113.

Quid igitur prô Deũm atq; hominũ fidem tam insano luctu conficeris, si quempiam tibi amicũ defungi contingat? cùm ex scripturis diuinis, ex D. Paulo, ex ore ipsius Iesu Christi qui est sapientia Dei patris, edoctus sis, mortẽ corporis hominem non penitùs extinguere & in nihilum redigere, uti falsò opinati sunt

Chrys. in epist. 1. ad Thess. ca. 4. Ho. 6. Matt. 13. Lucæ 2.

sunt Gentiles, sed instar somni duntaxat se habere, ex quo etiam certissimè per Dei gratiam tempore suo resuscitandus sit, et pristinam in uitam restituendus.

Quorsum igitur confert ille tuus immodicus luctus? quis ex eo commodū aliquod persensit? Nemo profectò in uniuerso orbe, imò nec uiui nec mortui. Accedit quòd Christi Domini arbitrio ex diametro repugnet, quod uel ex eo satis constare potest, quòd in domo Principis Synagogæ, priusq; defunctam puellā ex patris petitione resuscitaret, tibicines omnes lugubria carmina modulantes, reliquamq; eiulantium & lugentium turbam domo submouerit, neminemq; ex illis, ueluti indignis qui adessent apud se sustinuit, cùm stupendum illud miraculum patraturus. Matth. 9. Chrysost. in cap. 9. Matth. hom. 32.

Si itaq; Christus Dominus ne tunc quidem uoluit mortuos lugeri et plorari, cùm multis nondum ità ut nunc innotuisset, mortē hominis in somnum esse commutatam, ex qua etiam tempore definito ueluti ex somno resuscitandus sit, facilè quilibet syncerè Christianus cōsiderauerit, quantoperè immoditus Christianorū ob defunctos luctus nunc ei displiciturus sit, quandò quilibet carnis resurrectionem confitetur et credit, nemo inficiatur. Nihil profectò hic addubitandum est, Christo Dño istud uehementissimè aduersari.

Quamobrem in hodierno etiam Euangelio, cùm funebrem pompam obuiam haberet, mulieri filij sui mortem ægerrimè ferenti, uerbis sæpè iam commemoratis dixit: Noli flere. Cur autem ô Christe non fleam? Ille enim tuus filius, quem mortuum nunc effers ad sepulcrum, breui admodum resurget, prout etiam Christus Dominus extemplò atq; adeò in conspectu totius pompæ funebris omnipotentis uerbi sui uirtute miraculosè ipsum in uitam reuocauit.

Persuasissimum autem nobis esse debet, Christum Dominum etiamnum in hodiernũ usq; diem si quandò charissimum quenq; nobis per mortẽ eripi contingat, nos ijsdem, quibus uiduam, uerbis compellare, Noli flere. Cur autem non fleamus? Quia breui tempore hora illa aderit, qua omnes qui in monumentis
Ioan.5. sunt, audient uocem filij Dei, & procedent &c.

Noli flere. Quamobrem autem? Quia Christus Dominus & Seruator noster de semetipso pronuntiat: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Ego enim sum resurrectio & uita.

Noli flere. Cur autem? Rursum enim dicit Christus Dominus, Hæc est uoluntas eius, qui misit me, patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed
Ioan.11. resuscitem illud in nouissimo die.

Cur igitur fleamus, cùm certum indubitatumq; habeamus,

habeamus, corpora nostra in nouissimo die resurrectura, & pristinam in uitam restituenda?

Ecce auditores, hæc est sententia uerborum, Noli flere, quæ Christus Dominus in hodierno Euangelio ad mœstam uiduã locutus est, uidelicet, ne immodicè lugeamus defunctos, instar illorum, qui non habent spem resurrectionis.

Alioqui enim lugere mortuos in se malum non est. Nec quisquam hæc Christi Domini uerba sic accipiet, quasi omnem dolorem & luctum ex amici morte conceptum prohibeant. Hæc enim adeò nõ fuit Christi sententia, ut alibi etiam ipsemet, ob Lazarum defunctum fleuerit, scribitq; in hunc locum disertissimus ille Ecclesiastes Chrysosto: Christum Dominum hac de causa ob defunctum Lazarum fleuisse, ut indicaret se hominem esse, quandoquidem instar cæterorum hominum, mortuum defleret. Quasi dicat, A natura ità comparatum est ut defunctos ploremus, quiq; illud prohibere conetur, eum nihil aliud facere, quàm ut humanæ naturæ repugnet: quæ quoniam amorem quendam erga fratres nobis inseuit, non patitur eosdẽ sinè dolore & lachrymis hinc aufferri.

An nullo prorsus luctu mortuos prosequi liceat Christianis. Chrys. in cap. Ioan. 11. Hom. 61.

Quinimò si quis luctum et lachrymas horũ Christi uerborum prætextu penitùs abolere ac tollere instituat, uti nuper quidam moliti sunt, hic non solùm

naturæ, sed diuinis etiam scripturis aduersabitur.

Quidita? Consule Ecclesiasten, & expresse scriptũ
Eccles. 7. uidebis, Melius est ire ad domũ luctus, q̃ ad domũ cõ-
Item q̃ alio in loco præcipitur, ut defun- (uiuij.
Eccle. 38. ctos lugeamus. Fili in mortuũ produc lachrymas, &
quasi dira passus, incipe plorare, & secundũ iudiciũ
contege corpus illius, et nõ despicias sepulturã illius.

Quin et multa præclara et illustria exempla habe-
Exempla mus in sacris utriusq; Instrumenti scripturis populũ
S. scriptu Dei mortuos ploraſſe, et iuxtà cõmemoratã Eccleſia-
ræ de lu- stici sententiã, cõueniemi luctu et planctu sepeliuisse.
gendis De Mose legimus, quòd cũ iuxtà præpotentis Dei
mortuis: uoluntatẽ in terra Moabitica mortuus esset, populus
Deut. ult. Israël triginta dieb. eũ fleuerit in campestrib. Moab.
Gen. ult. Similiter de optimo pienißimoq; Ioseph legimus,
quòd cùm uideret Patrem suũ defunctum, ruit super
faciem Patris, flens et deosculans eũ. Præcepitq; ser-
uis suis medicis, ut aromatibus condirent Patrem.

Quod ipsum, referẽte textu et regionis cõsuetudine
perhibẽte, durauit 40. dies. Aegyptus uerò 70. die-
bus eũ fleuit. Et expleto planctus tempore, sepeliuit
cadauer in sepulcro quod Abrahã in terra Chanaan
sibi effodi curauerat. Vbi celebrãtes exequias plan-
ctu magno atq; uehementi impleuerunt septem dies,
usq; adeò ut habitatores terræ Chanaan planctus ue-
hementiam admirarentur.

Sic

Sic omnis multitudo populi Israëlitici uidens occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus, per cunctas familias suas. Num. 20.

Et quis demùm similes historias, quibus plena est scriptura diuina, uniuersas queat recensere?

Nonne Dauid cum uniuersusq; populus, adeò luxerunt mortem Abner, ut etiã uestimenta scinderent, & saccis accingerentur? Nunquid idẽ Dauid planxit filium suum Amnon cum seruis suis multis diebus? 2. Reg. 3. 2. Reg. 13.

Nonne & simili modo uniuersus populus Israël 1. Reg. 25
tum iuuenes quàm senes, uiri & fœminæ defunctum 1. Reg. ul.
Samuelem & Saulem planxerunt?

At ne quis fortè existimet, in ueteri solùm Testamento illud factitatum esse, consule D. Ioannis Euan- Ioan. 11.
gelium, ubi comperies Martham & Mariam sorores, defunctum fratrem Lazarum plorasse. Matt. 27. Marc. 15.

Consule Matthæum & Marcum, & similiter uidebis Mariam Magdalenam, & alteram Mariam instar lugentium sedisse contrà sepulcrum Christi.

Ex hodierno uerò Euangelio, uestra, auditores, humanitas & deuotio abundè cognouit, non ipsam duntaxat uiduam unici charißimiq; filij sui mortem luxisse, uerumetiam turbam ciuitatis multam. Lucæ 7.

Quocircà non eã habet sententiam, quòd ex uerbis Christi ad uiduã prolatis, noli fleve, monuimus ac

docuimus mortuos non esse lugendos, quasi prorsus non dolere, non flere nec lugere debeamus. Absit, auditores: siquidem hoc ipsi naturæ, literis sacris, multorumq; piorum sanctorumq; uirorum tam noui quam ueteris Instrumenti exemplis, uti auditum est, aduersaretur: illi enim mortuos multo tempore, pro rei conditione planxerunt. Sed eo proposito hæc Christi uerba, Noli flere, in medium adduximus, ut siquando Patrem, Matrem, Sororem, Fratrem, Maritum, Vxorem, aut alium quempiam dilectum morte nobis eripi contingat, non immodicè & plus æquo contristemur & superuacaneo luctu ineptoq; eiulatu ploremus ac lugeamus, instar infidelium, qui resurrectionem carnis nec agnoscunt nec credunt.

Vera expositio uerborũ Christi, Noli flere.

Neq; enim per se malum est lugere mortuos, sed ipsi naturæ ueterisq; ac noui Testamenti scripturæ consentaneum, ita ut qui defunctos planè contemnat, eosq; sine omni honore, fletu, luctu & cæremonijs iacere sinat, aut instar iumenti raptet ad sepulcrum, is, inquam, Christiani nominis indignus sit: prout pientissima mater nostra Ecclesia Christiana & Catholica filios suos hac uita functos, certis solennibusq; Cæremonijs sepelire consueuit: quas, aut saltem præcipuas earum oblata hac occasione, uestræ, auditores, humanitati breuissimè simplicissimeq; ex ordine

Quomodo et quibus Cæremonijs Ecclesia Christiana mortuos suos plangat.

ordine declarabimus, ut quilibet nôrit, quo pacto ex legitimo et Christiano ritu defunctos lugere debeat, & quid Cæremoniæ in funeribus et luctu Ecclesiæ Christianæ usitatæ significent, intelligat.

Et primò quidem, statim ubi anima è corporis domicilio migrauerit, ea penè ubiq; obtinet consuetudo, ut candido linteo inuoluatur cadauer, quod inde potissimum prouenit, quòd ubicunq; in Euangelio legimus de mortuis, plerunq; eos linteis aut sudarijs inuolutos comperiamus. Cur mortui linteis inuoluantur.

De Lazaro fratre Mariæ Magdalenæ & Marthæ legimus, quòd postquam à Domino resuscitatus esset, prodierit è sepulcro ligatus manus et pedes institis, & facies eius sudario erat ligata. Ioan. 11.

De Christo autem Domino & Seruatore nostro legimus eum à Ioseph o syndoni mundæ inuolutum, prout D. Petrus sepulcrum postea ingressus, sudarium quod capiti Christi Domini impositum fuerat, uidit. Matt. 26. Ioan. 20.

Atq; hinc iam Ecclesia Christiana hunc morem desumpsit, ut charissimi Sponsi sui exemplo, suos quoq; filios defunctos, linteis inuoluat. Equidem existimauerim hanc consuetudinem nemini improbandam, etiamsi sacrarum literarum exemplis fulta non foret, quandoquidem indecorum fuerit, hominem li-

cet defunctum, nudum exhibere: non solum quòd fortè eiusmodi species ueluti terribilis, tetra & cadauerosa horrori esse queat, uerumetiam quia (ut quiuis intelligit) per se turpe sit & exosum.

Accedit, quòd per huiusmodi linteа, quibus defunctos inuolutos uidemus, posimus ac debeamus admoneri uestis nuptialis, de qua legimus, quòd quisquis eam non habuerit, eum a cœna, id est, regno cœlesti, excludendum, & cum anima & corpore in gehennam præcipitandum: eoq; in nosmetipsos descendamus, omnemq; in hoc operam nauemus, ut quemadmodum defunctum linteo circundatum uidemus, ità & nos inueniamur uestiti ueste nuptiali, quandocunq; ex hac uita fuerimus euocati. Quia qua hora non putamus, uenturus sit filius hominis, citaturus nos ad iudicium. Atq; hæc est prima Cæremonia, quæ penes defunctos iam inde à prioribus seculis consueuit usurpari.

Matt. 22.

Luc. 12. Eccles. 9. Greg. lib. 12. Moralium.

Altera Cæremonia penes defunctos usitata, est quòd sanguine uel amicitia proximi, uestes mutare consueuerunt, & prioribus fortè leuitatẽ lætitiamúe præ se ferentibus, depositis, pullas et lugubres assumere, ut hoc pacto dolorem & tristitiam, ex amici morte conceptam externo habitu, ueluti signo quodam testentur: quod cur fiat longiori nunc expositione ac declaratione non eget.

De habitu lugubri, qui ob defunctos assumitur.

Nouis

Nouit quilibet cordatus et prudens, unumquemlibet eum in modum plerunq; se in externis præbere, quo intrinsecus in animo affectus est. Difficulter celatur quod in pectore latet. Si prosperè quis et feliciter agit, haud suo solius in sinu gaudium sustinet, sed et uicinum suæ uult conscium esse lætitiæ, eamq; uoce, plausu, saltu ac risu, habitu quoq; et alijs gestibus testatur.

Verumeninuero si fortuna rotam uerterit, rarescit risus et lætitia, iam toruum ac triste tuemur, abcedit blanda sermonis comitas. Risui quandoq; succedunt lachrymæ, plausui eiulatus, gaudio luctus & mœror, atq; in summa ità natura comparatum est, ut interno affectui mores externi plerunq; respondeant, nec recipitur à sapientibus quod quidam dixisse fertur, non minus tædij & molestiæ se capere posse in caligis uiridibus, quàm alium in nigris: externa enim & interna semper conuenire sibi & congruere debent, ut ex habitu animus & affectus deprehendi queat: atq; ità iuxtà docti cuiusdam Philosophi gentilis sententiam, uestis index sit animi.

Lugendis igitur mortuis, utiq; pullæ uestes, atra pilei fascia, et cætera id genus, iuxtà uniuscuiusq; regionis morẽ probè conueniunt. Non ob id solum quiâ pullus color natura sua dolori et luctui sit idoneus, et à

Iudæis

2.Re.14. Iudæis simul & Genibus ad hoc usurpatus, uerum etiam quia legimus passim in scripturis diuinis, sanctos Dei homines tempore luctus mutato priori habitu, lugubres uestes assumpsisse.

Cur propter defunctos pulsantur campanæ.

Defuncto itaq; linteis inuoluto, proximisq; amicis et cognatis eiusdem pullatis uestibus ex more indutis, ædituus pulsandis campanis pro loci consuetudine accingitur. Quod itidem non frustrà institutum singularem rationem & mysterium obtinet.

Matth.9. Marc.5.

Legimus quidem antiquitus penes funera & sepulturas, tibias atq; alia insuper instrumenta Musica usitata fuisse, quibus homines ad commiserationem & συμπάθειαν commouerentur. Verum eiusmodi iam à multis seculis in desuetudinem abierunt, & penè ubiuis locorum nunc loco tubarum campanæ ad funera & sepulturas pulsantur, idq; certis de causis.

Prima ratio cur ob funus pulsentur cãpanæ.

Primò, ut funebrem pulsum audientes, in nos ipsos descendamus & consideremus naturæ nostræ fragilitatem & miseriam, nimirum uti hic nunc efferatur ad sepulcrum, ità & nobis crastinò possit usu uenire, quodq; non habeamus hic manentem ciuitatem, quòd nec die quidem uno, nec hora, nec momento de uita nostra simus securi, quòd continenter expectare nos oporteat, quando Deus, ut hunc, ità & nos ex hoc mundo sit euocaturus.

Heb.13.

Ac

Ac tametsi tam certum illud habeamus quàm quod certissimum, nihil tamen æquè incertum est, quàm quandò illud futurum sit, quo anno, quo mense qua hebdomada, quo die, qua hora, hinc migrare cogamur. Quinimò quandò felicissimo in statu res nostras collocatas putabimus, & quietè nunc & securè uiuere decreuimus, eccè in momento manibus pedibusq; protensis lecto decumbimus, omnium membrorum impotes, nec opis aut consilij quicquam nobis præstare ualentes, nec usquam prorepere, nisi quo leuarint ac tulerint nos alienæ manus. Stulte, inquit Christus Dominus hac nocte repetunt animam tuam à te. Luc. 12.

Eccè auditores adeò nulla est nobis securitas, quandò uel maximè sumus securi, quandò minimè putamus, adrepit mors & iugulum ferit: inuadit fortè quempiam exigua pestilentiæ scintilla (Deus unumquemq; conseruet) & præter omnem opinionem insperato dolori ac periculo inuoluit.

Hæc & horum similia apud nos expendemus audito funebri campanarum pulsu, uitamq; præterea sic instituemus, ut quandocunq; Christus Dominus uenerit nos hinc euocaturus, paratos inueniat.

Deinde & hanc pulsus ille rationem habet, ut quilibet Christianus eo audito, pro anima defuncti Altera ratio, cur Deum defunctis

pulsentur campanæ.

Deum omnipotentem & patrem misericordiæ oret & inuocet, ut animæ clemens sit & misericors, et si forte quid mundanæ adhuc contagionis habeat, illud respectu tam frequenti Christianorum interceßione, per acerbißimam paßionem & mortem unigeniti filij sui Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi, indulgeat, et cum omnibus electis in æternæ felicitatis gaudium suscipiat.

Equidem existimarim auditores rem non adeò malam fore, si unusquisque sub quemlibet funebrem campanarum pulsum hæc aut horum similia meditaretur, & in solatium subsidiumq; defuncti, si non orationem Dominicam, saltèm imo cordis affectu Christianæ & fraternæ charitatis ergò breui et iaculatoria precatione diceret. Omnipotens et Clementißime Deus, esto ei propitius & misericors, ignosce illi peccata, æternamq; requiem concede: & quicquid demùm in hanc uergit sententiam.

Porrò si quis hìc ambigat an legitimè hunc in modum pro defunctis oremus, hunc per Deum Opt. Max. obtestor, ut uel tam diu piam hanc orandi consuetudinem obseruet, donec fusiùs hanc materiam explicemus ex capite 12. libri 2. Machabæorum, ubi sequentia uerba expreßè scripta inueniuntur. Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur.

Tertia

Tertia ratio cur defunctis pulsentur campanæ, est, ut quinis pulsum audiens, nouerit, eum cui iam defuncto pulsantur campanæ, ea cum fide hinc excessisse, ut certo et indubitatè crediderit corpus suum in die nouissimo de terra resurrecturum, & animæ rursus uniendum, excitatum uidelicet in uoce tubæ, de qua Paulus scribit, Archangelum omnes mortuos horrenda & terribili uoce citaturum ad iudicium. De quo & Christus locutus est, cùm dixit: Venit hora in qua omnes qui in monumento sunt, audient uocem filij Dei, & procedent &c. Atq; hæc de funebri campanarum pulsu.

Tertiæ ratio cur pulsentur campanæ pro defunctis. 1. Ioan. 4. Ioan. 5.

Itaq; inuoluto nunc linteis funere, amicis q; et cognatis uestibus lugubribus indutis & facto campanarum pulsu, nihil reliquum est amplius, quam ut funus sepulturæ mandetur: neq; enim ullus iam eius est usus in rebus humanis, eoq; in terram eum reuerti oportet, de qua sumptus est: puluis es & in puluerem reuertêris, inquit Dominus. Gen. 3.

Superest igitur extrema & ineuitabilis sepulturæ necessitas, non tamen eum in modum quo bruta pecora raptantur nescio quorsum. Nequaquam. Longè honorificentiùs agit Ecclesia Christiana, cum dilectis sibi filijs, curatq; eorum corpora tametsi uita expertia, reuerenter et peculiaribus Cæremonijs

Defuncti honorificè sepeliuntur.

sepeliri.

sepeliri. Et quemadmodum sacerrimus Doctor Augustinus scribit: Non ideò contemnenda & abijcienda sunt corpora defunctorum, maximeq; iustorum & fidelium, quibus tanquam organis & uasis ad omnia bona opera sanctus usus est spiritus &c.

Aug. de ciuit. Dei li. 1. ca. 13.

Ea propter certi idoneiq; homines destinati sunt, qui defunctum ad sepulcrum efferant. Si sit Ecclesiasticus, portant eum Ecclesiastici: si studiosus, studiosi: si ciuis, ciues: si mechanicus, ab eiusdem ordinis & conditionis hominibus portatur, atq; sic alter alteri comitatûs & operæ suæ præbet officium, donec tandem omnes excipiat sepulcrum.

Nec abs re fuerit, si unusquilibet uel baiulus uel comes aut spectator funeris, ità sibi persuadeat, quasi ipsum defunctum suis in auribus hæc uerba resonantem audiat: Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuum.

Eccles. 38

Didascalus cum discipulis canit in funere.

Præter hæc consueuit pleruncq; didascalus cum discipulis sepulturæ interesse & funebres quasdam Psalmodias ex scripturis diuinis desumptas canere, quæ tamen nihil aliud sunt quàm preces, aut etiam admonitiones quibus ad orationem, consolationem et nouissimorum considerationem excitemur. Eiusmodi Psalmodiæ funebres etiam sacrarum diuinarumq; scripturarum fundamento nituntur, cum non

in Ezechiele

in Ezechiele tantùm legamus, Fili hominis cane carmen lugubre ſuper multitudinem AEgypti: uerùm illuſtre etiam huius rei exemplum habeamus, quomodò uniuerſus Iuda & Ieruſalem, & maximè Hieremias, cum omnibus cantoribus & cantatricibus ſuis miris lamentationibus Ioſiam luxerit. Ezech.32. 2.Par.35.

Portantur præterea cerei ardentes, non ut clariùs proſpiciamus, ut ſycophantæ quidam de hoc loquuntur, quid enim lucis ipſo ſolis iubare radiante eiuſmodi exiles faculæ attulerint? ſed ut teſtatum faciamus, & coram omnibus profiteamur, ipſum defunctum, & quotquot funeri interſunt, magna cum ſpe & fiducia credere ſe per mortem ex denſiſſimis huius mundi tenebris peruenturos ad Chriſtum Ieſum, uerum æternumq; lumen, uti de ſeipſo teſtatur. Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Ioan.8. Cur cerei accenſi funeribus adhibeantur.

Fertur & ſignum S. Crucis, & plerunq; in ipſa acie, ad deſignandum, qua ſpe & fiducia defunctus morbem obiuerit, nimirum crucis Chriſti: per quid remiſſionem peccatorum expetiuerit, nempe, per crucem Chriſti: qua uia & ratione regni cœleſtis hereditatem conſequi ſperarit, nimirum per crucem Chriſti, quæ in proceſſione circumfertur, ut diſcamus omnem ſpem & fiduciam ſimili modo in Cur ſignũ crucis funeri præferatur.

Cur funus aqua lustrali aspergatur.

Christi crucem collocandam, potißimum uerò in extrema uitæ nostræ Catastrophe.

Insuper & aqua lustrali aspergitur defunctus, ad significandum, eum per Sacramentum Baptismi ab omnibus suis peccatis gratuitò mundatum, & in numerum Electorum cooptatum, eodemq; & non alio modo, æternam lætitiam & felicitatem se consequuturum speraſſe. Tametsi nec illud ambiguum sit, per uirtutem aquæ uerbo Dei sanctificatæ, etiam spiritus malos profligari, ut minus nocere queant.

1. Tim. 4

Thus cur funeri adhibeatur.

Thuris quoq; suffitus præter alias causas idcirco excitatur, quod quemadmodum thus boni & grati est odoris, ita defunctum honesta, pia & Christiana uita omnigenisq; uirtutibus & bonis operibus bonum odorem præbuisse, qui in ipsos etiam cœlos adusq; Dei conspectum penetrauerit, quod summo nunc illi bono cessurum sit. Quòd autem per thuris suffitum bona opera intelligantur, consule Dauidem & Paulum, ubi Philippenses ob collatas eleemosynas commendat, uocans odorem suauitatis.

Psal. 140
Phil. 4.

Defunctus in cœmiterio sepelitur

His omnibus ita ex ordine peractis, demùm funus decenter et honestè in cœmiterio in effossum antea sepulcrum demittitur. Quo in loco, ad hoc deputato & per Dei uerbum consecrato, defunctus ab incursu Satanæ securiùs quiescit, et una cum alijs Christi fide-

sti fidelibus, quibuscum in hoc seculo una in fide & Ecclesia uixit, resurrectionem suam expectat.

Ecce auditores, hic est ritus & modus quo Christiana & Catholica Ecclesia filios suos ex hoc seculo migrantes plorare & lugere solet, non querulo & parum sano eiulatu admodum eos plangens, cum iam eò conceßerint, undè reditus non datur: illud autem studioßè obseruat, ut honestis et peculiaribus cæremonijs sepeliantur, quarum explicationem uestra humanitas nunc ex parte audiuit.

Fortaßè iam uestrum aliquis secum ratiocinatur auditores, ea quæ hactenùs audiuerit non penitùs esse reijcienda. Limteis inuolui defunctos nõ esse ineptum, pullis & lugubribus indui non esse à re alienum, campanarũ quoq; pulsum esse conuenientem, ad sepulcrum procedere adhibitis cereis, cruce, thure & aqua benedicta, tolerari posse. Nec enim instar iumenti hominem sinè omni respectu abijciendum. Cæterùm tanto tempore, pro defunctorum animabus orandum, quæ ubi locorum in Purgatorio detineantur, nesciamus, Missas pro ijsdem instituendas, primum, septimum, tricesimum & anniuersarium diem celebrandũ, et cætera id genus qua ratione ueritati consentanea sint, in animum suum inducere non posse. De hac materia, auditores, proxima concione

sermonem instituemus, quo sperauero, cuilibet uestrum satisfactum iri. Hac autem uice uestram humanitatem diutiùs morari nolo, Dei omnipotentis tutelæ ac præsidio uos commendans.

SECVNDA CONcio funebris.

CVR ODERIT SATAN orationes pro defunctis. De triplici mortuorum discrimine, & quomodò Deus dimissa peccati culpa pœnam sępenumerò infligat.

AVDIVISTIS *superiori Concione audi*tores, *quomodò & quibus Cæremonijs Ecclesia Christiana defunctos lugere consueuerit, quidq; eædem designent, sperans, unumquemlibet pium*

bet pium & syncerum hac simplici declaratione à nobis facta abundè contentum fore: quandoquidem non in ueteri solùm Testamento multi pietate et sanctimonia conspicui uiri, atq; adeò etiam Patriarchæ diligentem sepulturæ suæ curam gesserint, uerum etiam in Nouo ipse Christus Dominus & Seruator noster honorificè in nouo sepulcro atq; in spectabilium quorundam hominum præsentia sepeliri uoluit, uti in Euangelio scriptum legimus, & Prophetæ multò antè uaticinatus est, glorioſum Domini sepulcrum appellans. Gen. 23. 25. 47. 49. et 50 Exod. 13. Iosue ult. Tob. 4. Matt. 27

Porrò una remansit Cæremonia ubiq; in Papatu usitata, quam gratæ breuitatis ergò superiori Concione non licuit explicare, nimirum quòd statim ab obitu cuiusquam ad preces & orationes pro anima defuncti conuertantur non illi tantùm, qui uel sanguine uel necessitudine defuncto coniuncti sunt, sed uniuersus quoque eius loci Monachorum Sacerdotumq; cœtus. Cum primùm defunctus linteo inuolutus est, Parochus cum Sacerdotibus & Sacellanis suis accedens, ad preces pro anima defuncti accingitur, dùm ipsum funus etiamnum in ædibus existit. Accedunt & cœnobitæ, itidem pro defuncti salute deprecantes. Defertur ad sepulcrum, statimq; didascalus cum suo discipulorum grege funebrem Oden Mar. 15. Esaiæ 12. In Papatu oratur pro defunctis.

cantare incœptat, quæ plerunq; etiam nihil differre ſolet ab oratione pro defunctis. Vix peruentum eſt ad defuncti ſepulcrum, et rurſùm inchoat Parochus, quem ſequuntur Preſbyteri, nec interim ferias agunt Monachi, nouasq; preces defuncto concinunt. Atque, ut ſummatim dicamus, precum & orationum pro defuncti anima uix aut terminus eſt aut modus. Imò nec dum ſufficiunt quæ domi, quæ inter eundum et in ſepultura peracta ſunt, ſed defuncto iam ſepulto cæteriſq; domum reuertentibus, tum primùm res ſeruere incipit, tum decantandæ ſunt Vigiliæ, tum uniuerſi totius Paræciæ Sacerdotes in defuncti ſubſidium Miſſas & ſacrificia peragunt, quandoq; etiam hi ipſi ne ſufficiunt quidem: hic tum Monachi etiam aut Ieſuitæ ſuccenturiantur, ne precibus & orationibus quicquam deeſſe uideatur. Prætereà ſolennis habetur dies primus, ſunt etiam ſolennes ſeptimus & triceſimus: alijs quoq; in locis tertius cum alijs quibuſdam. Anniuerſarius uerò dies nullo pacto prætermitti poteſt.

Hæ & harum ſimiles Cæremoniæ aut ſuffragia, quæ ubiuis locorum in Papatu defunctis præſtari ſolent, equidē haud ſcire poſſum (dicet fortè quiſpiam) quo pacto ſacris ac diuinis ſcripturis puriorique Euangelij doctrinæ conformes eſſe queant, imò an co-

ram

rùm præpotenti Deo poßint excuſari aut defendi. Præterea an quamtumuis frequẽtes ac diuturnæ preces et ſacrificia, defunctis opem aut ſolatiũ præſtent.

Hunc ſanè in modum Auditores, nouißimis hiſce temporibus, quibus penè omnes probatæ, laudabiles ſacrarumq; ſcripturarum teſtimonijs firmatæ conſuetudines in contemptum deuenerunt, de hoc quoq; pro defunctis orandi ritu contumelioſè deblaterare conſueuerunt. Ac tametſi nihil quod uel aliquo ſaltem colore fucatum ſit obijcere poßint, ſatis tamen habem, ſi rideant & ſubſannem, ut hac ratione quod nec uolunt nec intelligunt, nec ulla cum ueritate iuxtà Rhetoricam artem queunt euertere, dicterijs & ſycophantijs ſuis apud homines in contemptum adducant. Hæc eſt malitioſißimi Satanæ omniumq; eius miniſtrorum indoles & natura, ut non ſemper τὴν λεοντῆν ἐνδυσάμενος, claua & aperto Marte rem gerat. Multas ille habet alias occultas artes & ſtrategemata, quibus quandoq; pro re oportunitate negotium aggreditur. Vnde et ipſa ſcriptura diuina de ipſo teſtatur, Erat callidior cunctis animantibus. Gen. 3.

Quid autem tibi perſuades, malitioſißime Satan, hoſtis teterrime, uerſutißima beſtia, quòd tam contumaciter & proteruè ſentis & loquens de

Cur Satanas intolerandas

ducat ora tiones pro defunctis,

consuetudine orandi pro defunctis, quæ uel perpetuò per totum terrarum orbem ubicunq; Catholici Christiani habitarum, in summa dignitate extitit, & continua usurpatione seruata est. Quid emolumenti percipis creaturarum infelicißima & perditißima, ut illud ipsum tolerare nequeas aut uelis? Cætera enim quæ circa defunctum aguntur, non oppugnans, sustines & admittis: Pateris linteo inuolui mortuum: lugentes pullis usitatisq; ex more uestibus indui: cereos accendi: campanas pulsari, aliasq; Cæremonias superiori concione tractatas penè omnes usurpari permittis. Solas orationes et sacrificia pro defunctis nulla ratione sustines. Hic furit & insanit ueterator, quasi ad furorem & insaniam (si tamen antè sanus) redactus sit, omnesq; in hoc artes et uersutias exercet, ut hunc pro defunctis orandi morem abroget & eliminet.

Oratio ad Christum.

Nos uero precamur Deum & Creatorem nostrum, ut pro ineffabili sua bonitate clementer et paternè nos defendat, ne unquam in æternum uersutissimis malitiosißimi Satanæ suggestionibus uel in minimo concedamus & obsequamur. Quinimò eximijs animorum nostrorum penetralibus intimè ac deuotißimè flagitamus. Vnigeniti fili Dei Patris, Iesu, Domine & Seruator noster, qui amplius nunc mille

quingentis

quingentis annis animos nostros sancti Euangelij tui lumine illustrasti, & iuxtà promissum tuum dilectum sponsam tuam Ecclesiam ab omnibus erroribus 10.14.15.
defendisti, rogamus te ut potiùs facultates nostras uniuersas, domum & fundum, uxorem & liberos, et quicquid in hoc mundo charum habemus, ipsam quoq; sentiendi & intelligendi facultatem nobis eripias, quàm ut per tuum tuorumq; fidelium omnium hostem iuratissimum Satanam nos in tam peruersum & reprobum sensum seduci permittas, ut pro defunctorum animabus, pro charissimis Maioribus Patre & Matre, Auis & Proauis, Sororibus et Fratribus, atq; adeò pro omnibus in fidei signaculo iam olim antè nos defunctis, nostrarumq; precum suffragia desiderantibus, non ulteriùs deprecemur. Quinimò natalem suum quis abominari, aut in ipso uitæ exordio suffocatum se potiùs optare debebit, quàm in defunctos fratres tam inauditam inclementiam ac tyrannidem designet.

Enimuerò si uestra, auditores, humanitas & deuotio, uerissimam ipsissimamq; rationem scire desiderat, quid nefarium tetèrrimumq; Satanam impellat, quòd orationes pro defunctis neutiquam sibi tolerandas existimet, nouit sanè salutis nostræ hostis, uidet & experitur per Ecclesiæ & piorum homi-

num preces, infinitas animas, ex horribilibus pœnis & supplicijs, quæ alioqui ob admissa peccata diutius perferre debebant, exonerari. Hoc ipso extremè discrutiatur sceleratißimus impostor. Eoq; tam inuitus ab hac arietatione desistit, & quibuscunq; potest machinis tentat, an Christianum hoc & fraternæ Christianæq; charitati tam consentaneum, miserisq; animabus tam necessarium opus queat eliminare. Sed quantò ille magis formas se uertit in omnes, quantò magis desudat & contendit eiusmodi sustollere, tantò nos enixius allaborabimus omnemq; in hoc industriam conuertemus, ut prisca, laudabilis, & iam inde à plurimis seculis ad nos deriuata pro defunctis orandi consuetudo inter nos conseruetur. Idq; uel eo potißimùm, quòd eiuscemodi consuetudo, non solùm diuinis scripturis fulta sit, uti opportuno tempore satis demonstrabitur, uerumetiam quiá certum exploratumq; habemus, nec penes hominem uerè ac syncerè Christianum dubium ullum residere debet, animabus defunctorum hæc nostra
Iob. 19. suffragia summè necessaria: quodq; ea intimis ardentibusq; suspirijs ac desiderijs expetant & expectent. Nostras quoq; interceßiones pro illis factas, ipsis conferre, & quandoq; ex grauißimis tormentis, alioqui sustinendis, exonerare.

Porrò

Porrò ut hæc penitiùs intelligantur, sciendum tria esse defunctorum genera.

Principio quidam sunt, qui in fide integri & ab omnibus peccatis defecati & mundi in Domino obdormierunt, prout sinè dubio multi sanctimonia & pietate insignes antè hæc nouissima tempora in quibus iuxtà Christi Prophetiam, charitas refrixit, & malicia abundauit extiterunt, & fortè per gratiam Omnipotentis etiamnum uarijs in locis supersunt, qui dies ac noctes in lege Domini meditati sunt, quibus nihil in omni uita maiori fuit gaudio, quam ut ad normam uoluntatis diuinæ uitam instituerent, ut ob Christi nomẽ quid paterentur, ut ieiunijs, precibus & eleemosynis, alijsq; laudatis, bonis et pijs operibus se uere Christianos exhiberent. Potissimũ aũt hic accensendi sunt oẽs constantes Confessores, qui nec precio, nec uiolentia, nec persequutionibus, nec gloria, nec fauore huius mundi, nec ulla alia re à ueritatis confessione auerti sustinuerunt, plerique etiã huius suæ constantiæ ergò martyrium perpessi sunt. Matt. 19. Matt. 10.

Tria defunctorũ genera.

De huiusmodi nihil ambigitur quin statim ab excessu suo gaudij & felicitatis æternæ consortes efficiãtur, et ex ipso corporis domicilio sine omni remora euolent in regnũ cœleste, prout ipse Christus testatur, inquiẽs: Qui crediderit et baptizatus fuerit, Marc. 16.

salus

ſaluus erit. Talis fuit D. Apoſtolus Paulus, qui etiam num in hoc mundo exiſtens, tantam ſalutis ſuæ certitudinem habuit ut de ſeipſo dixerit, Reſtat mihi co-
2. Tim. 4 rona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die. Quamobrem ô Paule? Diſertè id paulò antè declarat, inquiens, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Verè hoc de ſe pronunciabat Apoſtolus, eoq; & alterum dicere poterat, Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Quis nunc tam erit ſtolidus, ut pro Diuo Paulo uelit orare Deum, ut clemens illi ſit & propitius? Nemo profectò. Cur autem? Quia certò beatus eſt. Quia uerè idq; non ſinè diuina reuelatione de ſeipſo dixit, repoſitam eſſe ſibi coronam iuſtitiæ. Idem de reliquis omnibus ſentiendum eſt, quos certò atq; indubiè conſtat ciues ſanctorum effectos, æternamq; lætitiam & felicitatem adeptos.

Aug. Homi. 71. de uerb. Apoſt. Præterea ſuperuacanea foret quantumuis diutina pro ipſis oratio, imò ut ſcribit Diuus Auguſtinus, Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.

Niceph. lib. 7. ca. 29. Eccleſ. hiſt. Alterum genus eſt eorum, qui nunquam ad agnitionem ueritatis peruenerunt, & ſinè omni penitùs fide exceſſerunt, ut Maxentius, Aut ſi ſemel eam ſuſceperunt, poſteà tamen abnegarunt, ut Iulianus Apoſtata. Aut etiam falſis ſcripturarum expoſitionibus in

bus in errores & hæreſes ab unitate Eccleſiæ abducti ſunt. Item qui in deſperationem prolapſi ſunt, ut Cain, qui ad Dominum dixit, Maior eſt iniquitas mea, quàm ut ueniam merear. Item qui per Sacramentum Baptiſmi à peccatis ſuis nunquam abluti & ſanctificati ſunt. Aut ſi baptizati ſunt, & Chriſtianam fidem ſuſceperunt, eidem ſe non conformarunt, ſed continenci diuinorum mandatorum præuaricatione, & fraternæ charitatis neglectu, præpotentem Deum offenderunt, atq; in eiuſmodi flagitioſa uita obſtinati & pœnitere neſcij, in finem uſq; perdurarunt. De huiuſmodi quoq; non ambigitur eos in æternas gehennæ flammas præcipitatos. Nam ut alibi rurſum ait Chriſtus, Qui non credit, iam iudicatus eſt. Et iterum. Qui mala egerunt, ibunt in ignem æternum.

Oroſius li. 7. c. 18. Eutrop. lib. 10. cap. 7. Oroſius lib. 7. cap. 19. Gen. 4. Aug. ad Renatum de anima & eius orig. lib. 1 cap. 9. & 11. & lib. 3. cap. 12. Ioan. 18. Ioan. 5.

Quocirca uniuerſæ preces quæ pro huiuſmodi fieri poſſent, irritæ ſunt & ſuperuacuæ. Nam ut trito apud Latinos prouerbio dici conſueuit: In inferno nulla eſt redemptio.

Quandò igitur eo res redacta eſt, ut quis ob uitam flagitioſe & ſinè pœnitentia tranſactam, et peccatorum multitudinem, æternæ damnationi adiudicatus ſit, huic profectò nec luctus aut eiulatus, nec preces & ſacrificia proſunt: Baptiſmus & Chriſma &

ma, & quicquid hominum saluti conferre potest nullam hic uim obtinet. Quamobrẽ? Eo enim in loco constitutus est, ubi nullam esse redemptionem, Christiana & Catholica Ecclesia omni tempore agnouit & credidit, & regius Propheta ipse testatur, dum inquit, In inferno quis confitebitur tibi? quasi dicat, Nemo. Nihil enim istic nisi horror, fletus, eiulatus, querimoniæ & Væ illud sempiternum.

Psal. 6.

Matt. 22.

Quid autem nunc superest auditores? Audiuimus nunc eos qui uera & uiua in fide iuxtá Dei uoluntatem uitam suam in hoc seculo transegerunt, nostris precibus non egere, quandoquidem iam in æternæ felicitatis gaudium assumpti sunt: Malis uerò iam damnatis nihil prodesse preces quantumuis assiduas. Quorsum ergò quotidianæ orationes in Papatu usitatæ? Cui tot Sacrificia, Vigiliæ, Primi, Septimi, Trigesimi, Anniuersarij dies & reliqua id genus quæ defunctis fieri consueuerunt, cui, inquam, eiusmodi conducunt, quandò, uti dictum est, nec beati egent, nec damnati illis iuuantur?

Te iam appello, qui tam impotenti odio defunctorum suffragia prosequeris, quo oraculo didicisti unumquemlibet á morte sinè omni mora & impedimento postquam animam efflauit, uel ad cœlos uel ad inferos transferri? Legimus quidem Christum Dominum

minum & Seruatorem nostrum expreßis uerbis ad discipulos ſuos, quos iam ablegabat, ad prædicandum Euangelium uniuerſo orbi, locutum, Qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui uerò non crediderit, condemnabitur: Quæ Christi uerba eam quidem prima fronte ſententiam præ ſe ferunt, quaſi duo tantùm ſint loca, cœlum & infernus, quo mortui deueniant. Verùm ſi aliquantò penſiculatiùs ea perſcrutemur, comperiemus, longè diuerſam habere ſententiam, quam ſuo quiſpiam fantaſtico cerebro ſibi comminiſci poßit. Marc. 16.

Tametſi enim ex commemoratis Christi Domini uerbis nullum penes nos dubium reſideat, admodùm bonos ab ipſo animæ egreſſu in cœlos migrare: è contrariò, admodùm malos itidem ad inferos præcipitari: non tamen ijſdem uerbis negatur longè diuerſam rationem habere cum illis, qui nec admodùm ſint boni, nec admodum mali.

Quantus inter nos inuenitur numerus eorum, qui licet manifeſtè ſcelerati, hæretici, fures, latrones raptores, incendiarij, aut id genus flagitijs obnoxij non ſint, alijs tamẽ criminibus leuioribus ſunt irretiti, ob quæ illis admodùm iuſtis, accenſeri nequeãt? Quam ineffabilis prô dolor hiſce temporibus inuenitur multitudo eorum, qui licet in fide, in charitate

& gratia

& gratiæ Dei sint, ex improuiso, eoq; etiam forte non peracta pœnitentia ex hoc seculo euocantur? Vnde iam quibusdam næuis adhuc sint contaminati, quos, si morte præuenti non essent, libenter in hoc seculo eluissent & expiassent: prout de sua ipsius matre Monica testatur D. Augustinus, ubi inter cætera de ea scribit. Quanquam illa in Christo uiuificata, etiam nondum carne resoluta, sic uixerat, ut laudetur nomen tuum in fide moribusq; eius, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum uerbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum.

Aug. lib. Confess. 9 cap. 13.

Quid autem uobis, auditores, de eiusmodi hominibus uidetur? Dicemúsne eos tali in statu defunctos, ut peccatis adhuc fuerint contaminati, protinùs exhalata anima migrasse in cœlũ? Verùm illud nec credendum nec dicendum iubet Apostolus Paulus, scribens Ecclesiam Triumphantem esse sine macula & ruga. Prohibet idipsum D. Ioannes dùm scribit, Nihil coinquinatum intrabit in cœlestem Hierusalem. Prohibet Esaias Propheta, appellans illam Triumphantem Ecclesiam Viam sanctam, per quam pollutus transire non possit. Deniq; prohibet, quòd ex diuinis literis compertum habeamus, Deum non solum clementem esse & misericordem, sed & uera-

Ephes. 5. Apoc. 21. Esaiæ 35.

cem,

cem, quiq; nullum peccatum sinat impunitum. Hæc obstant, cur hominem, tametsi ex peßimorum numero non sit, attamen admissorum peccatorum plenam nondum peregerit pœnitentiam, non tam subitò in cœlum tollere queam.

Quid igitur huic tali euenire dicemus? Nam quòd planè damnatus sit longè absurdius est, cùm in Christi nomine baptizatus sit & crediderit, fraternam & Christianam charitatem quæ hominem & iustificat & saluificat, non deseruerit, in gratia Dei mortuus sit, nouis peccatis, quorum nec contritionem habuerit, nec confeßionem fecerit, oneratus non fuerit. Quandoquidem, inquam, hæc ita sint, fieri nequit, eum esse damnatum. Itaq; si nec damnatus, nec perfectam salutem consecutus est, si nec apud superos nec inferos, ubi constituendus est? Equidem illud uobis, auditores duobus uerbis, uerißimis tamen, & ex diuina scriptura desumptis sinè omni fraude aperiam. Est in loco satisfactionis siue pœnitentiæ. Eiusmodi porrò locus in cœlis esse non potest, ubi neq; satisfactio est, neq; pœnitentia, sed mera lætitia, requies, securitas & beatitudo. Neq; uerò infernus esse potest, ubi itidem non est pœnitentia sed pœna & damnatio sempiterna. Scire autem desideratis, quis tandem ille sit locus? Est medius quidam locus inter cœ-

Matt. 22. 24. Luc. 13.

lum & infernum, ubi qui in charitate & gratia Dei hinc exceſſerunt, necdum tamen penitus a peccatis depurati, ſatisfactionem, quam uiui præſtare debuerant adimplent & perficiunt. Eiuſmodi inquam locus eſt, ut compendio utamur.

Porrò ſi defunctus pro ijſdem peccatis in hoc mundo idoneam pœnitentiam feciſſet: ſi iuxtà fideliſſimam Apoſtoli doctrinam membra ſua, dum uiueret, exhibuiſſet ſeruire iuſtitiæ & ſanctificationi, ſicuti ameà exhibuerat ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: Si iuxtà Prophetam, ſicuti fuit ſenſus eius ut erraret à Deo itá antè mortem decies tantum, iterum conuertens, requiſiuiſſet eum: Si in hac uita, uti monet Petrus Apoſtolus, ſic mortuus fuiſſet peccatis, ut deinceps non ſolùm non peccaſſet, ſed & iuſtitiæ uiuens, uelut ex mortuo iam uiuificatum Deo ſe exhibuiſſet: Si furto aliquandò patrato iuxtà paternam D. Pauli doctrinam deinceps non ſolum non furatus eſſet, ſed laboraſſet etiam operando bonum, ut habuiſſet, undè neceſſitatem patienti tribuiſſet: Si iuxtà Pauli ſententiam ſeipſum in hoc mundo dijudicaſſet: In ſumma ſi antè pœnitentiam legitimè, integrè & uerè peractam morte preuentus non eſſet, nunquam in hunc locum deueniſſet, ſed ab ipſo animæ egreſſu in regnũ cœleſte migraſſet, ut

Rom. 6.

Purgatorium quo modo poſſet euitari.

Baruc. 4.

1. Pet. 2.

Epheſ. 4

1. Cor. 11.

set, uti hoc Ambrosius, Tertullianus, Origenes, Augustinus, Bernhardus multis in locis clare docent.

Cæterùm quia longum nimis fuerit si memoratorum aliorumq; S. Patrum prolatas hac de re sententias enarrare instituamus, unum duntaxàt pientissimum præstantissimumq; Doctorem Chrysostomum uno in loco audiemus. Hic in sermonibus de Lazaro inter cætera sic ait. Vides quomodo hic inflicta pœna, liberat à pœna quæ illic est. Et in sermone proximè sequenti, eadem uerba adducit, & uberius exponit. Vt igitur, inquit, neq; puniamur neq; pœnas demus, in suam quisq; conscientiam ingrediatur, uitamq; explicet, cunctisq; commissis diligenter excussis, condemnet animã quæ hæc patrauit, puniatq; cogitationẽ, affligat crucietq; suam ipsius mentẽ, suppliciũ à seipso exigat pro peccatis, per condemnationem, per diligenter actã pœnitentiã, per lachrymas per confessionẽ, per ieiuniũ, per eleemosynã, per continentiã, ac charitatẽ ut possimus omnes omni modo hic depositis peccatis, cum fiducia illuc proficisci etc.

Ambr. ad uirginem lapsam cap. 8.
Tert. lib. de pœnit.
Orig. li. 3 in li. Iud.
Aug. de pœnitentiæ medicina.
Bern. ser. 55 in can.
Chrys. de Lazaro Concio: 5

Quoniam porrò nunc talis (de quo supra locuti sumus) eo tempore quo in mundo uixit idoneam pœnitentiam non egit, non ipsemet in se uindicauit peccatum, non secundùm Apostoli uerba, seipsum dijudicauit, seuerumq; Dei iudicium pœniten-

tia sua præuenit, nunc certè, si regnum cœleste intrare desiderat, satisfacere eum oportet, penitusq; purgari, quò diuinæ iustitiæ, quæ nullum peccatum sinit impunitum, satisfiat, alioqui certè in cœlestem Hierusalem peruenire non poterit, in quam, teste D. Ioanne, nihil coinquinatum intrabit.

Apoc. 21.

Sciendum autem hic est auditores, diligenterq; aduertendum & fideliter retinendum, Deum remissa quandoq; per gratiam & misericordiam suam culpa, æternæq; damnationis pœna, temporariam tamen pœnam nobis irrogandã reseruare, ità ut qui ob uaria peccata damnationem æternam subire debebat, per fidem & pœnitentiam lætalium peccatorum suorum ueniam ac damnationis æternæ remissionem consequatur: nihilosecius ob eadem peccata licet remissa, temporariam pœnam sustinere cogatur. Non secus quàm si cui quippiam furato peccatum æternumq; supplicium per uirtutem meriti & satisfactionis Christi Domini in Confessione remittantur: non tamen hoc ipso tollitur pœna temporaria, sed obtinet hic locum trita iuris regula: Non dimittitur peccatum nisi ablatum restituatur, et si rei fert conditio, corporis quoq; pœna exoluatur. Si autem hæc non fiant, nec iustitiæ ciuili hac in parte satisfiat, non tamen huius iustitiæ utpote à Deo institutæ

Deus quãdoq; dimittit culpam retenta pœna.

Augusti. epist. 54. ad Mace.

De reg. iur. in 6. reg. 4.

tutæ adimpletio ulla dißimulatione prætermitti potest.

Mirabitur autem fortè quißpiam, remißa eße ßibi per meritum Chriſti peccata, quorum pœnam adhuc ßubire oporteat, Nõ poßße ße ingenio ßuo compræhendere, qua ratione conueniant remißio culpæ & illatio pœnæ. Quin potiùs uideri ignoto peccato, totum illud penitùs & omninò remißum, & ßinè ulla conditione ßublatum, extinctum, abolitum, profligatum nec ullam eius in æternum ßore memoriam. Hanc fortaßis opinionem quis concipiat, & falßa perßuaßione ßeipßum decipiat. Verùm ßi penitiùs rem perßcrutemur, reuera comperiemus, Deum quidem peccata clementer remittere, nihilominus tamen ßæpenumerò ignota culpa pœnã adhuc temporariam à nobis exigere. Quomodo conueniat remißio culpæ et imputatio pœnæ.

Si necdum illud in animum inducere queas, qua demum ratione id fiat, proximũ eßt, ut ßcripturam ßacram de eo conßulamus, eiußdemq; reßponßo ßinè longiori dißputatione fidẽ accommodemus, quandoquidem nihil nißi ßacris literis expreßßum à te recipitur.

Quid autem in ßcripturis diuinis hac de re legimus? Si quis uel ßolum Prophetæ Dauidis exemplum in prima huius materiæ concione fuſè à nobis enarratum, ßibi proponat, mea quidem ßententia abundẽ

Exemplũ scripturæ sacræ Deũ quãdoq; remittere culpam retenta pœna.

cognoscet, euidentissimumq; in Dauide exemplum perspiciet, præpotentem Deum peccatori ob peccata dolenti, sæpenumerò ea ignoscere, pœnamq; æternam peccatis debitam clementer remittere, temporariam tamen pœnam eum corripere, sed exiguam, miti & clementi iuxta delicti conditionem, idq; solùm ne peccatum omninò maneat impunitum.

2.Reg.12

Enimuerò Dauid eodem in loco per serium acerbumq; dolorem, per preces intimo religiosissimoq; affectu profusas, per summam de bonitate et misericordia Dei fiduciam, grauissimorum peccatorum, quæ in Vriam eiusq; uxorem commiserat, remissionem sinè omni ambiguitate consecutus erat, uti Propheta Nathan ad confessionem coram se factam ipsi Dauidi illud respondit, Transtulit quoq; Dominus à te peccatum tuum. Nihilominus ignotis peccatis, & recepto in gratiam Dauide, temporariam ob eadem licet iam remissa, pœnam sustinere cogebatur. Non morieris, inquit Propheta, (intellige mortem æternam) ueruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter uerbum hoc filius qui natus est tibi, morte morietur. Ecce auditores, hic citrà controuersiã Dauidi peccata erant ignota, eorundemq; remissio ei annunciata, nihilominus ob eadem peccata iam remissa, temporarijs quidem sed grauissimis

grauißimis pœnis afflictus est. Moritur illi natus ex
Bersabea filius, Absolon quoq; filius regno patrem 2.Reg.15
eijcit, eiusq; uxorẽ uiolat, uti ipse Vriæ uxorem uio 2.Reg.16
lauerat, plurimæ insuper aliæ calamitates et aduersi
tates post hunc tam enormẽ lapsum, ipsum exercue=
runt. Huiusmodi exẽplis plena est scriptura diuina.

In libris Regum legimus, quòd cum Dauid ani= 2.Re.24
maduerteret se Deum numerando populũ offendis=
se, statim in se descendens, Peccaui, inquit ualdè hoc
in facto, sed precor Domine ut transferas iniquita=
tem serui tui, quia stultè egi nimis. Venitq; ad eum
Gad Propheta dicens, Hæc dicit Dominus, Trium
tibi datur optio, Aut septem annis ueniet tibi fames
in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios
tuos, & isti te persequentur, aut certè tribus diebus
erit pestilentia in terra tua. Dixit autem Dauid ad
Gad. Coarctor undiq; nimis, sed melius est, ut inci=
dam in manus Domini, multæ enim misericordiæ
eius sunt, quàm in manus hominum. Atq; ità Deus
tametsi peccatum iam remisisset, nihilominus pesti=
lentiæ pœnam in populum immisit.

Planè simili modo accidit Mosi & Aaroni, qui Num.20.
cùm Deum offendissent eò quòd de potentia eius dif=
fisi erant, temporaria pœna peccatũ expiare debue
runt, licet culpa iam antè illis erat ignota. Siquidem

neuter eorum potuit populũ in Palæstinã deducere, sed mortuis illis in deserto, alij hæc facultas est collata.

Num. 12. Itidem de Maria sorore Mosis legimus, cùm Mose intercedente remissum illi esset peccatum, & à lepra, qua percussa fuerat, mundata, nihilominus pœnam sufferre debuit, et septẽ diebus à castris excludi.

Num. 14. Remiserat quoq; Dominus populo Israëlitico peccatum (quòd aduersus Mosen & Aaronem murmurantes, constituto sibi Duce uolebant in Aegyptum reuerti) per supplicem Mosis interceßionem. Sic.n. ibidem loquitur Deus ad Mosen. Dimisi iuxtà uerbum tuum, Viuo ego et implebitur gloria Domini uniuersa terra etc. Porrò quemadmodum cæteris omnibus in locis Deus clemens est et misericors, qui peccatorum æternæq; damnationis gratiam faciat manens nihilominus iustus, & ignotis iam peccatis temporariam pœnam infligens, ità & hic sui similis manet. Gratiæ est, ignoscere populo peccatum: iustitiæ, temporariam infligere pœnam, quod ex his Domini uerbis abundè colligimus. Attamen, inquit, omnes homines qui uiderunt maiestatem meam & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem uices, nec obedierunt uoci meæ, non uidebunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam.

Cum

Cum uitulum adorassent conflatilem per intimas Mosis orationes Deus populo reconciliatus est. Non minùs tamen quàm antè illis minatus est, In die, inquiens, ultionis uisitabo & hoc peccatum illorum. Percußitq; Dominus populum pro reatu uituli quem fecerat Aaron. Exod. 32.

Si quis hanc rem nondum intelligat, uel seipsum duntaxat consideret, aut quemuis aliũ Christianum, & fatebitur utiq; eo quo nunc enarratis exemplis docuimus, módò, rei ueritatem sese habere. Enimuerò nemo inficiari potest nos in lauacro Baptismi per pasßionis et mortis Christi meritum ab omnibus peccatis, & potißimùm à labe originali mundatos & ablutos, omnesq; noxas ex gratia et beneficentia Dei nobis ignotas et remissas, attamen nihilosecius eo non considerato, temporarijs adhuc pœnis ob originalis peccati culpam quotidiè exercemur. Quæris quænam hæ sint pœnæ? Sunt morbi, infirmitates, miseriæ, ærumnæ, omnesq; illæ necessitates quibus uita mortalium est obnoxia, & tandem corporis mors, hæ, inquam, sunt pœnæ peccati originalis, quod si admissum non esset, neutiquam corpora nostra uarijs infirmitatibus grauarentur: nunc autem quiá semel illud patratum est, cogimur illud, quantumuis à Christo Domino per pasßionem & mortem eius sufficien- Sapi. 10. Gen. 4. Rom. 6.

Aug.de pecca.merit.et remiss.lib.2 cap.34.

ter & abundè expiatum, nihilosciùs omnifarijs morborum infirmitatumq; generibus, & tandem ipsa morte adhuc quotidiè luere.

Dies me destituet, si exempla omnia huc spectantia coner recensere. Quocirca enumeratis in præsentiarum erimus contenti, ex quibus uestra, auditores, pietas & quiuis non omninò indocilis abundè intelligit, Deum ex gratia & misericordia peccatori pœnitudine ducto culpam ignoscentem, nihilominus tanquam ueracem iustumq; Deum temporariam quandam pœnam reseruare quam infligat, solùm ut iustitiæ suæ satisfiat. Nam in misericordia iustus, & è contrario in iustitia uult esse misericors, ut utraq; hæc misericordia & iustitia, semper in Deo sint coniuncta, attestante illud Regio Propheta.

Psal. 110. III.

Porrò huiusmodi temporariam pœnam peccator declinare et quãdoq; precibus deprecari et auertere potest, si dum adhuc in hoc mundo superstes est ueris peccatorum suorum ducatur pœnitudine, si ieiunijs, precibus, eleemosynis alijsq; corporis castigationibus seipsum dijudicet: sic enim iuxtà D. Pauli sponsionem, uindictam & iudicium diuinum euitare potest: Sic enim scribit: Si nos ipsos dijudicaremus, non iudicaremur à Domino.

Ambr.in ser.46. de pœnit. Petri. Bas.Mag. in ser.su illo uerbo Mosis. At tẽde tibi: Item ad Monachũ lapsum. Iren.aduers.hær. Valen.li. 4.ca. 45 1.Cor. 11.

Iudicandi erant à Domino Niniuitæ, iamq; illis

per

per Ionam Prophetam annunciatum erat post dies quadraginta ciuitatem subuertendam. Cæterùm cùm seipsos dijudicarent, suaq; peccata & flagitia, quibus irretiti erant in contrarias uirtutes commutarent, ut planè alium hominem induerent, & sicuti antè immodico cibo & potu deliquerant, ità nunc sese abstinentiæ & sobrietati atque adeò ieiunijs etiam dare inciperent: sicut anteà in uestitu cæterisq; in rebus fastum & superbiam præ se tulerant, ità nunc omni humilitate dimißis animis saccos assumerent. Sicut anteà Dei & Creatoris sui prorsùs obliti, ità nunc in necessitate eum quærerent, & consona uoce unoq; ore uniuersi ad eum clamarent, Cùm, inquam, hoc pacto inciperent seipsos dijudicare, Dei iudicium declinauerunt. Ionæ 3.

Sic Dei iudicium euasit Ezechias. Quamobrem? Quoniam iuxtà Pauli doctrinā seipsum dijudicauit. Esa. 38.

Simili modo Dei iudicium effugit Achab. Quid ità? Quià seipsum dijudicauit: Sic iustum hoc seuerumq; Dei iudicium infiniti alij ueram legitimamq; pœnitentiæ normam sequentes, euaserunt et præuenerunt, quià seipsos dijudicauerunt. 3. Reg. 2. Eucherius in lib. 2. Reg. ca. 8

Porrò facilimè fieri potest ut lapsus, peccati dolore et pœnitentia ductus, & ueniam eiusdem ex gratia Dei et per meritū Christi consequutus, ità tamen

ut tem-

ut temporariam adhuc pœnam ſubeat, priuſquam hanc ipſam luat morte præueniatur. Quid autem hic dicemus auditores? An hunc protinùs in cœlum ſuſtollemus & beatum prædicabimus? Atqui nondum à peccatorum ſcoria mundatus eſt. Temporariam pœnam illi definitam, nondum ſubiuit. Diuinæ iuſtitiæ nondum ſatisfecit. Porrò Deus non ſolùm eſt miſericors, uerumetiam iuſtus. Quid ergo? An eum damnabimus? Quinimò hic potiùs locum habeat Purgatorium, quantumuis dirum & formidabile, uti de eo ſcribit D. Auguſtinus. Gratum enim erit & acceptum, magnique beneficij loco reputandum, ut ab æternis gehennæ flammis immunes ſimus & ſecuri.

Augu. in Pſal. 37.

Hoc purgatorium uti exponit D. Ambroſius, idem ille locus eſt, de quo Dominus & Seruator noſter locutus eſt, Non exibis inde donec reddas nouiſſimum quadrantem. Id eſt, donec peccata, à quibus in hoc ſeculo per plenam iuſtamq; pœnitentiam mundatus non es, inſperata morte præuentus, nunc poſt mortem expies & luas, Deiq; iudicio & iuſtitiæ ſatisfacias, iuxtà illud Apocalypſios: Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Ambr. in cap. 12. Luc. li. 7. Matth. 5. Apoc. 18.

Vnde nominis purgatorium.

Hunc locum Maiores noſtri Purgatorium nuncuparunt. Miraris unde hoc nominis prouenerit, aut quis

illud primus excogitarit? Diligenter aduerte, & protinùs mirari desines. gatorij origo.

Est locus, in quò illi, qui in hoc seculo plenam peccatorum suorum pœnitentiam non egerunt, temporariam pœnam sustinere coguntur, si modò in cœlestem illam Hierusalem uelint intrare, in quam nihil coinquinatum introibit, atq; hic locus antiquissimo nomine ignis Purgatorius appellatur. Quamobrem? Quia est ignis, attestante Paulo, & in eo animæ cruciantur, torquentur, iudicantur, aut ut clarissimè dicam, quandoquidem adhuc contagij quippiam & immunditici penes se habēt, qua impediuntur ab ingressu regni cœlestis, Purgantur, Quo igitur modo aptius illi uocabulum tribui potuit quàm, ignis purgatorij? Apoc. 21. 1. Cor. 3.

At uerò si nomen hoc omninò non sustines nec purgatorij appellationem admittis, ut successum habeat tua contentio, tuo licet nomines illud ex arbitratu. Appella, si libet, carcerem: nam in eo concluſi detinentur, donec exoluant nouissimum quadrantem. Aut uoca locum expiatorium quandoquidem ibi residuam debitamq; peccatis pœnam coguntur pendere. In summa quamcunq; uoles ei nomenclaturam tribue, si Purgatorij displicet appellatio, saltem ut concedas esse eiusmodi locum, ubi animæ illorum qui Matth. 5.

non

non adimpleta pœnitentia hinc emigrarint, post hanc uitam castigentur, donec ab omni peccatorum sœoria purgatæ, in regnum cœleste possint admitti.

Verum quod operæ precium feceris, si eiusmodi concedas, uti nullus mortalium aliquo ueritatis colore inficiari potest, nec tamẽ Purgatorij nomen sustineas? Stolida hæc est & ridenda quorundam hominum persuasio, qui tùm demùm se præclaros existimant, si omnia reijciant & ludificentur, etiam ea quæ quandoq; non intelligunt. Tu autem si sapis, nobiscum de Purgatorio senti, eodemq; nomine illud nobiscum appellare non uerearis. Imò non nobiscum duntaxat, sed cum integerrimis, sanctissimis, antiquissimis, pientissimisq; patribus et Doctoribus Ecclesiæ. Hi siquidem omnes locum illum, in quo animæ post hanc uitam satisfaciunt, Purgatorium appellarunt. Appellationem autem hanc, uti quispiam existimare posset, non suo ingenio commenti sunt, suoue arbitrio locum hunc constituerunt. Absit. Cæterùm legitimas ex diuinis scripturis ex ueteri et nouo Testamento causas habuerunt, cur hoc nomine & non alio, nuncupauerint. Quæris quænam hæ sint causæ? Apud Malachiam Prophetam de cuiusq; hominis ex hoc mundo excessu sequentia uerba legimus. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad ui-

Orig. in Rom. li. 8 c. 11. Aug. de Genes. cont. Manich. lib. 2 c. 20. Itẽ in Psa. 37 Item de ciuit. Dei li. 21. c. 16.

Purgatorij nomẽ in ueteri Testam. insinuatur.

Malach. 3

ed uidendum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & argentum.

Eccè hic loquitur Propheta Malachias de extremo uniuscuiusq; hominis die, quo ex hoc mundo excedens, diuino iudicio sistitur. Iam porrò qui eo die, inquit Propheta nõ exactè satis erit mundatus, eum purgari oportebit per ignem. Vnde iam quilibet abundè colligere potest, etiam populo Dei in ueteri Testamento non fuisse incognitum, nec aliter de eo locutos esse Prophetas, quàm ignem quendam existere, in quo illos qui non idoneam in hac uita pœnitentiam fecerunt, purgari & á peccatorum reliquijs mundari oporteat. Quem locum unica nomenclatura Purgatorium appellauerunt.

In nouo autem Testamento quid aliud designat Apostolus Paulus, quàm Purgatorium, dum scribit: Ipse tamen saluus erit, sic quasi per ignem? Vtiq; nihil aliud hac sententia significare uoluit Apostolus, quàm eum ipsum ignẽ, in quo illos qui aliqua adhuc peccatorum uenialiũ contagione polluti, aut pœnæ cuipiã obnoxij, purgari cõgũtur, priusq; beatitudinẽ queant adipisci. Cæterùm quoniam prolixũ nimis foret, si de hac Pauli sententia operosiùs ac fusiùs dicere

Purgatorij nomen in nouo Test. exprimitur 1. Cor. 3.

instituã-

instituamus, præsentem sermonem concludemus, & reliqua futuris concionibus reseruabimus. Nunc illud sufficerit, auditores, si discatis locum eiusmodi existere, in quo animæ illorum, qui in charitate quidem, attamen peccatis quibusdam leuioribus contaminati, aut alioqui imperfecta pœnitentia ex hoc mundo migrarunt, ineffabilibus tormentis, igne, calore & frigore, pice & sulphure, horrendisq; & maximis pœnis torqueantur & purgentur, donec diuinæ satisfiat iustitiæ, & à cunctis peccatis mundatæ, sine impedimento, cæleste regnum ingredi queant, in quod nos inducat Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Dionys. Carth. in Dialogo de particulari iudicio post mortem, artic. 16. 17. et seq.

AMEN.

CONCIONVM FV-nebrium Tertia.

AN IN VETERI TESTAmento quippiam tradatur de Purgatorio.

ITEM

AN LIBRI MACHABÆOrum reliquis Bibliorum libris Canonicis accenſendi ſint.

EO pròh dolor hac noſtra calamitoſa tempeſtate ſacerrimæ Religionis Chriſtianæ ſtatus deuenit, ut omnes penè illius partes, à ſpiritibus quibuſdam inquietis & uertigioſis in controuerſiam rapiantur. Potiſſimùm uerò ignis Purgatorius apud omnes ferè per maledicos quorundam hominum clamores & ſeditioſos libellos in tantum deuenit contemptum,

temptum, ut multi eorum uel ad solam nominis mentionem, ludibrijs rem excipiant. Quando igitur superiori Concione hanc materiam tam operosè tractare cœpimus, non grauabimur, auditores, Purgatorij ignis probationem conari, idq; eo promptius & alacriùs, quandoquidē rarò contingit huiusmodi materias iusta & idonea declaratione à quibuslibet Ecclesiastis tractari, cùm tamen, mea sententia, hoc seculo nihil æquè necessarium sit, quam ut populus ex diuinis scripturis uerè edoceatur, quid de nonnullis articulis sentiendum sit, de quibus hac nostra tempestate tanta altercatione disceptatur.

Purgatorium in scriptura fundatū.

Vt igitur prætermissis ambagibus rem ipsam aggrediamur, quid tandē dicturi eritis, si eam ex scripturis diuinis expressè doceamus? Si clarè & perspicuè demonstremus, integerrimos, sanctissimos pientissimosq; Patriarchas in ueteri Testamento de Purgatorio sensisse, agnouisse, credidisse, scriptisq; professos esse, quæ nos Catholici in hodiernum usq; diem de eo sentimus, credimus, docemus & profitemur? Equidem existimauerim eiusmodi obturbatores, ronchos & risus istos Sardonicos nonnihil contracturos (nisi aut omninò præfracti sint, aut seipsos destinato animo excœcare uelit) & tandem in sese descendentes consideraturos, non utiq; omnium

uamus

uanum esse, quod charissimi Maiores nostri felicis memoriæ, qui citrà omnem dubitationem pie & sincerè Christum professi sunt, omnibus seculis, tam consentientibus animis de Purgatorio crediderunt. Haud futili illud fundamento niti oportet, de quo in ueteri Testamento legimus, populũ Dei multis antè natum Christum annis exploratum illud habuisse, sensisse et credidisse, de quo etiã diuini Prophetæ suis in libris locuti sunt. Hæc utiq; non aliter sese habent. Siquidẽ de Purgatorio in ueteri Testamento scriptum legimus. Populus Dei etiam antè Christi Natalem illud agnouit & credidit. Diuini Prophetæ de eo locuti sunt, Quid ultrà igitur requirimus auditores? Quis nunc porrò tam erit uesanus, ut de Purgatorio ulterius disceptare uelit, quandoquidem eiusmodi fulcris in ueteri Testamento fundatum existit? Meã profectò sententia nemo uerè Christianus, nisi prorsus dæmonio obsessus sit, illudq; negare instituat, quòd tam euidenter ei demonstratur, ut uel cæco perspicuum sit.

Verumenimuerò ne quis existimet me Thrasonico fastu hoc in certamine uires meas uanè et futiliter iactare, eccè incunctanter quod promisi aggrediar, et nisi Purgatoriũ esse doceã, uicto herbã hosti porrigã. Purgatoriũ in ueteri Test. fundatũ.

Micheas Propheta inter cætera hæc de Purgatorio scribit. Mich. 7.

ſcribit. Ne Leteris inimica mea ſuper me, quia cecidi. Conſurgam. Cum ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt. Iram Domini portabo, quoniam peccaui, donec cauſam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Educet me in lucem etc. Quid de hac Micheæ Prophetæ ſententia uobis uidetur auditores? Putatisne eum hic ſatis dilucidè de Purgatorio locutum? An uerò nihil penitùs ex ea deprehenditis quod ad Purgatorium, de quo nunc tractamus, pertineat? Ego uerò non difficulter crediderim quoſdam tam ſtupidos & craſſos, ut non intelligant: quoſdam etiam tam malignos, ut intelligere nolint. At profectò ille antiquitate & ſanctimonia uenerandus Doctor D. Hieronymus, qui iam olim antè annos mille & ſeculis aliquot ultrà, uixit, pluresq; alij Doctores atq; item Gloſſa ordinaria hanc Prophetæ ſententiam de Purgatorio expoſuerunt, ibidemq; diſertè docent, ſedente in Purgatorij tenebris anima, Chriſtum Dominum omnem eius eſſe ſpem, fiduciam & ſolatium, quem etiam expectat, donec pœnæ & purgationis ſuæ tempus expleatur, eoq;, ut Prophetæ habet ſententia, maligni ob eius ſupplicia lætari non debent: cùm norit ſe multifarijs peccatis ſuis ea commeritam, eoq; patienter ſuſtinet, nihil addubitans oportuno tempore, quando nimirum Chriſtus Dominus abſolutorium de

ipſa

ipsa iudicium pronuntiaturus est, resurrecturam se, id est, Purgatorij pœnis exonerandam. Hunc, inquam, in modum probatißimi quidã Doctores hanc sententiam exponunt. Porrò quoniam hæc Prophetæ uerba, quibusdam obscuriora, aliamq; habere sententiam uideri poßint, accuratiùs ueteris Testamenti libros perlustrabimus, an alicubi clarius quippiam de Purgatorio scriptum inueniamus.

Et primum quidem occurrunt Regij Prophetæ Dauidis uerba, quibus inter cætera sic ait: Sicut oues in inferno poßiti sunt, mors depascet eos. Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me, Introibit (diues) in progenies patrum suorum, usq; in æternum non uidebit lumen. Eccè auditores, magnum hic & euidens uidemus mortuorum discrimen. Quidam eorum non redimuntur, sed æternum damnantur, quod denotatum uoluit Propheta dum inquit. Introibit (diues) in progenies Patrum suorum usq; in æternum non uidebit lumen. Alij uerò definito tempore ex inferis liberantur, quod his uerbis idem Propheta testatur: Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me. Psal. 48. Altera Purgatorij probatio ex ueteri Testamento.

Quo autem modo futurum est, ut ex inferis quis redimatur, cùm hactenus perßuasißimum fuerit, nec

aliter traditum, quàm in inferno perpetua esse tormenta perpetuos cruciatus et æterna supplicia, quibus damnati sine ullo fine, indesinenter, sine ulla misericordia in æterna secula horrendũ miserrimumq; in modum torqueantur & discrucientur. Vera quidem est hæc de infernis opinio & fides. Infernus n. æternam damnationem habet adiunctam, quem ipse
Matt. 25. Christus Dominus, quoniã finẽ non habet, ignem æternum appellat, in quem qui semel deuenerit, nunq̃ in æternum liberari potest, iuxta tritum prouerbium, In inferno nulla est redemptio. Nihilosecius uerum est, uerumq; permanet in æternum, quod de seipso pronunciauit Propheta, Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi. Verum quidem hoc est, auditores, sed non eo sensu, ut quis de inferno damnatorum exponat. Minimè gentium, istic enim uti nunc abundè auditum est, nulla redemptio sperari potest: sed de alio et quidem tali inferno accipi oportet, in quo defunctorum animæ crucientur quidem et puniantur, non autem indesinenter in perpetua secula, uti fit in inferno damnatorum, sed tam diù solùm donec pœnam, quam in hoc seculo nisi morte præuenti essent, expiasse debebant, luant, ut hoc pacto iustitiæ diuinæ, quæ nullum peccatum sinit impunitum, satisfiat, atq; ità ab omnibus peccatorum sordibus

dibus penitùs defæcatæ, ſinè ullo impedimento cœleſtem Hieruſalem ingrediantur, in quam iuxta D. Ioannis ſententiam, nihil coinquinatum introibit. Apoc. 21.

Hic igitur eſt infernus de quo Regius Propheta Dauid hic locutus eſt, quem ad differentiam inferni damnatorum, unico uerbo Maiores noſtri iam indè à multis ſeculis Purgatorium appellarunt.

De hoc eodem inferno itidem locutus eſt Propheta Dauid, cùm inquit: Clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur, & de neceſſitatibus eorum liberauit eos, et eduxit eos de tenebris et umbra mortis, & uincula eorum diſrupit. Hæc aptiſſimè de Purgatorio intelliguntur: Nam quòd fortè quis exiſtimet, Dauidem hic de limbo Patrum locutum, qui iſtic uelut in ueſtibulo inferorum aduentum Meſſiæ & redemptoris expectarunt, abſurdum eſt, quùm limbus ille Patrum nullis tormentis & ſupplicijs fuerit obnoxius, ſed ſi exactè de eo loquamur, ipſiſſimus fuerit Abrahæ ſinus, in quo ſancti Patres ab obitu ſuo ſinè omni pœna quidem, attamen non ſine ſummis flagrantiſſimiſq; deſiderijs uenturum Chriſtum & Redemptorem ſuum expectabant. Hic autem loquitur Regius Propheta Dauid de eiuſmodi loco, in quo animæ miſerias, dolores tormenta, cruciatus & ſupplicia pertulerunt. Clamauerunt ad

Tertia Purgatorij proba tio ex ueteri Teſt. Pſal. 106. Thom. p. 3. q. 69. art. 4. Eſai. 45.

Dominum inquit, cùm tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & uincula eorum disrupit. Quibus ex uerbis euidenter intelligimus, animas ibidem afflictas, calamitatibus pressas, in tenebris & in umbra mortis, captiuas q; & ligatas, atq; in summa eo in statu fuisse constitutas, ut etiam coactæ fuerint ad Dominum uelut unicum assertorem & uindicem clamare, qui & tandem eos, ut inquit Propheta, liberauit, & uincula eorum disrupit. Illud autem de inferno accipi non potest, ubi nulla est redemptio: itidem nec de limbo, in quo non fuerunt supplicia, eoq; hæc Dauidis sententia non aliter quam de illo inferno intelligenda est, quem ad differentiam inferni damnatorum appellamus Purgatorium, quòd hic animæ ad definitum tempus purgentur.

Quarta Purgatorij probatio ex ueteri Test.

Porrò si quis hunc aliaq; ueteris Testamenti locum alium in modum uelut interpretari, nec ullo pacto Purgatorium admittere, illum mihi cuperem edissererere, cur Iudæi, populus Dei electus in ueteri Testamento pro defunctis orarint, si ex lege sua non didicerant, certoq; persuasum habebant, eiusmodi expiatorium locum extare ubi animæ defunctorum, precum nostrarum suffragijs, summopere egeant. Sanctus ille Propheta Dauid nunquam sanè tanto cum

Populus Dei in ueteri Test. pro defunctis orauit.

2. Reg. 1.

affectu

affectu mortem Saulis & filij eius Ionathæ luxisset, nisi cognitum habuisset, eos fortè post mortem in altero seculo, pœnis et supplicijs quibusdam obnoxios futuros. Nam quod operæ preciũ fecisset, tam acerbè eos deplorans, ut uestimenta scinderet, & ad uesperam ieiunaret, si quicquid defunctis præstatur, uanum foret & superuacaneum? Quæ Tobiam impulisset necessitas, ut orasset cum lachrymis, & sepelisset mortuos, si nullus hinc fructus ad ipsos promanasset? Quid pientissimum Abrahamum aliosq; multos probitate & sanctimonia illustres Patres, quorum exemplis refertum est uetus Testamentum, quid, inquam eos commouisset, ut coniugibus aliisq; cognatis et familiaribus suis post ipsorum excessum tot iusta & exequias executi essent, si irrita hæc fuissent, prorsusq; defunctis inutilia? Sed absit ut inutilia fuerint & superuacua. Vtiq; profuerunt illis, cùm alioqui sanctissimi pientissimiq; uiri nunquam ea fecissent. Nec populus ille Iudaicus peculiariter à Deo electus, hanc pro defunctis orandi consuetudinem tantoperè seruasset, multò minus uerò diuinæ scripturæ eis præcepissent, si uel non egerent illis defuncti, uel nihil ex illis emolumenti persentirent. Gen. 25. 28. 31. & 49.

Porrò nulli Christiano et Catholico dubium erit,

Populo Dei in ueteri Test. præceptũ fuit pro defunctis orare.

quim præceptum fuerit Iudæis in ueteri Testamento, pro defunctis orare. Quod uel inde satis liquet quòd Iudæi etiamnum hodiè pro defunctis orare consueuerunt. Etenim si peritum quempiam & exercitatum Iudæum interroges an soleant orare pro defunctis, haud inficiabitur, hanc se consuetudinem indubitatò à maioribus suis antiquis illis & pijs Iudæis uelut de manu in manum, à priscis antè Christum natum temporibus accepisse, & perpetua usurpatione inter ipsos cultam ac seruatam esse. Si itaq; in ueteri Testamento inter electum Dei populum non fuit rectæ rationi & ueritati contrarium pro defunctis orare, si uiuorum suffragia illis profuerunt, cur obsecro nunc malum illegitimumq; censeri debeat? Cur nunc euanuerit uigor eiusmodi orationum, quæ tunc efficaciam suam habuerint? Mihi sanè illud insolens & absurdum uidetur.

Ecclesi. 7. Quinta probatio Purgatorij ex ueteri Test.

Vt autem nullum omninò penes te dubium resideat, an Iudæis in ueteri Testamento præceptum sit, pro defunctis orare, consule Ecclesiasticum pleraq; charitatis opera ex ordine recensentem, ad quæ Spiritus sanctus nos exhortatur: quibus etiam uelut officium charitatis accenset, ne mortuis opem nostram subtrahamus. Mortuo inquit ne prohibeas gratiam. Quam porrò gratiam uiuentes mortuis præstare

stare possunt, quæ quidem gratiæ nomen mereatur, quàm ut pro ipso oret? Nam quicquid post mortem homini præstare conêris, nihil ei profuerit præter solam orationem. Vndè sola hæc est illa gratia (si exactè de ea loquamur) quam uiuentes mortuis prohibere non debent, monente illud sapientis sententia.

Quæsi necdum tibi preces pro defunctis faciendas satis comprobare uidetur, existimans alio modo illud Ecclesiastici dictum accipi posse, quid dicturus es, si manifestum, clarum expressumq; textum ex ueteri Testamento proferamus, quo disertis ac rotundis uerbis luculenter demonstretur, iam olim pro defunctis oratum, idq; pro re sancta & salubri habitum esse? Quid nunc amplius habes quod obijcias? Sanè si cordatus quispiam tale quid audiat, utiq; palmam nobis concedens & à Purgatorio defunctorumq; suffragijs impugnandis desistens, clarissimæ ueritati acquiesceret.

Enimuerò scriptum legimus de magnanimo illo et bellicoso Duce Iuda Machabæo, quòd cùm magnam exercitus sui partem in prælio occubuisse cerneret, continuò facta collatione, duodecim millia drachmas argenti miserit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, subnectitq; eodem in loco scriptura. Sancta & salubris est cogitatio, exorare pro

2. Mac. 12

Sexta Purgatorij probatio ex ueteri Test.

Expreßũ S. scripturæ testimonium de orando pro defunctis.

pro defunctis, ut á peccatis soluantur. Audite quæso auditores, sancta, inquit, est, et salubris cogitatio exorare pro defunctis. Quamobrem? Clarißimam subijcit rationem scriptura, ut á peccatis soluantur. Quid ultrá nunc requirimus auditores? Habemus hic expreßam ex ueteri Testamento demonstrationem, salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare eiusmodi; orationes defunctis prodesse, Habemus, inquam, non testimonium humanum, quod fortaßis in dubium rapi posset. Habemus non tantùm consuetudinem Iudæorum, quam ueluti cæteros abusus irrepsisse, quispiam fortè cogitaret, sed clarum dilucidum & expressum diuinæ scripturæ oraculum, quæ nullum in se mendacium & falsitatem comprehendit, sed ex spiritu sancto, qui spiritus est ueritatis, prouenit, & ab Ecclesia Christiana, quæ eodem spiritu regitur, pro uera & autentica S. Bibliorum scriptura recepta est, nobisq; tradita. Eccè hæc eadem scriptura sacra claris, disertis & expreßis uerbis quæ ab homine uerè Christiano nullam in ambiguitatem trahi possum, ait, sanctam esse & salubrem cogitationem pro defunctis exorare, ut á peccatis soluantur.

2. Pet. 1.

Vtri nunc fidem habendam existimas. Leuine & uano cuipiam, in quo nullum specimen aut argumentum

tum reluceat, habiture in eo ſpiritum Dei, qui ex me-
ra proteruia prorumpens clamitet, uanas eſſe pre-
ces quantumuis aßiduas pro defunctis, nihil eas pro-
deße, nil niſi idolatriam eſſe & abuſum Papiſti-
cum etc: An uerò ſcripturæ diuinæ contrarium do-
centi, expreßisq; uerbis dicenti, ſanctam eſſe & ſa-
lubrem cogitationem pro defunctis exorare, ut à pec
catis ſoluantur? Sanè præſtantißimus ille & anti-
quus Doctor Damaſcenus his Machabæorum libris promptè admodum & libenter fidem habuit, et hanc ſententiam inſtar præclari teſtimonij producit ex ijſdem Machabæorum libris, docens inde, rem eſſe ſanctam & ſalubrem pro defunctis orare. Imò et eo-
dem in loco poſt longam huius materiæ tractatio-
nem, ait ipſos Apoſtolos docuiſſe, orandum pro de-
functis.

Damaſc. in ſer. de his qui in fide hinc migrarũt

Quocirca puturim quemuis cordatum facilè ag-
nituru longè tutius & conſultius fore, ut hoc ho-
minum genus, qui nil niſi deblaterare & contemnere
norunt, miſſum faciamus, & quo uidentes prudẽ-
tesq; proruunt, ad Stygiam paludem præcipites ag
ſinamus, maioremq; fidem ſacris diuinisq; eloquijs
tribuamus, quæ ſine fraude in omnibus certam ſim-
plicemq; ueritatem indicant.

Nec uel in minimo nos mouere debet, ſi quiſquam illorum,

illorum, qui quasuis turbas ac tragœdias in Ecclesia Dei concitant, obijciat, hos Machabæorum libros ex quibus commemorata sententia desumpta est, Canonicis scripturis non accenseri. Quid enim nos offendant, quorumlibet, quibus id mandatum non est, nec conuenit, somnia & commenta? quum exploratum habeamus, Ecclesiam Catholicam, quæ cæteros S. scripturæ libros pro Canonicis recepit, in Concilio 4. Carthaginensi alijsq; Concilijs, hos quoq; Machabæorum libros pro authenticis agnouisse & inter alias sacrorum Bibliorum scripturas, legendos proposuisse. Quinimò memoratum Carthaginense Concilium, quod postea ab Leone IIII. et a Synodo Trullana confirmatum est, omnes libros Canonicos exordine recenset, atq; inter illos hos quoq; Machabæorum libros commemorat, appellans eos Scripturas Diuinas. Quid igitur requiris ulteriùs tu idiota? Catholica Ecclesia tibi decernit Euangelium Matth. uerè & certò a Matthæo scriptum, esseq; scripturam sacram ac diuinam, idq; incunctanter credis: Cur non eadem ratione eidem Ecclesiæ Catholicæ credis, indicanti ac definienti hos Machabæorum libros esse scripturas diuinas? Aut uerò si quid habes quod respondeas, edisserе. Vnde Euangelium Matth. ab ipso Matthæo Apostolo, nõ aũt ab alio aliquo conscriptum,

Orig. Hom. 7. in Ezech. Greg. Nazian. in Apolog. Hieron. in Ezech. ca. 13. & in Hiere. cap. 33. Concil. Carthag. 4. Can. 7

scriptum, esseq; idipsum diuinā scripturā? Vnde didicisti, Epist. Pauli ab ipso Paulo scriptas, et pro Canonicis habendas, nō aūt ab alio quopiā confictas esse?

Scribit Eusebius in Historia Ecclesiastica quendam Basiliden quosdam Prophetas anteā ignotos, Barchabam, Barchob et nonnullos alios uoluisse producere. Iam porrò quis uel tibi uel mihi ulliūe alij dicet, an hi Basilidis Prophetæ ueri, an Pseudoprophetæ fuerint: an ipsorum scripta ex bono, an uerò ex malo spiritu prouenerint? Quomodò dinosces? quo signo uel iudicio rei ueritatem explorabis? Euseb. li. 4. cap. 8.

E diuerso fuerunt antiquitùs referente Eusebio, Irenæo, Origine, qui uniuersas D. Pauli epistolas, prætereà totum uetus Testamentū reiecerunt. Qua autem ratione docebis malè illos & perperam, nos autē rectè facere, quòd eiusmodi indubiè pro sacris et Canonicis scripturis suscipimus et habemus? Cur Euangelium Marci diuinum, sanctum & Canonicum censes, cùm Christum in carne non uiderit, Nicodemi uerò Euangelium non recipis, qui ipse Christum uidit & audiuit? Equidem scio te aliud respondere non posse, quàm ea propter te libros illos, quos hodiè in Ecclesia pro Canonicis et authenticis habemus, recipere, reijcere uerò Barchabā, Barchob, Euangeliū Nicodemi, Bartholomæi, epistolam Pauli Euseb. li. 3 Eccl. Hist. ca. 27. et li. 6. c. 28. Iren. li. 1. cap. 26. Orig. in Psal. 82.

ad Lao-

Ecclesia Catholica iudicat de scripturis. Irenæus aduer. hæres. cap. 2. 3. 4. Aug. contra Faust. lib. 13. cap. 4. & lib. 28 cap. 2. 4. Item li. 2. de doctr. Christ. cap. 8. Aug. cont. epist. Manich. c. 5.

ad Laodicenses & pleraq; alia, quandoquidem hos ipsos quibus nunc utimur, Ecclesia Catholica, quæ à spiritu sancto regitur, perpetuò tales censuit, eademq; in ueneratione & authoritate ueluti per manus ad nos peruenerunt. Illa uerò nunq̃ ab Ecclesia susceptæ, & pro Canonicis agnita fuisse. Vnde nisi eadem Ecclesia ipsi Euangelio cæterisq; omnibus Pauli reliquorumq; Apostolorum Epistolis testimonium præberet, has ipsas scripturas & non alias esse quas scripserint, nemo sciret, imò & dubitare liceret, an hoc ipsum uerum legitimumq; foret Euangelium, an hæ epistolæ à sanctis Apostolis scriptæ, an ab alio potiùs confictæ essent, prout D. Augustinus expreßè illud testatur, dùm inquit: Euangelio non crederem nisi me moueret authoritas Ecclesiæ. Quid ità Augustine? non crederes Euangelio nisi commoueret Ecclesiæ authoritas? Ergò non uis aliter Euangelio fidem præstari quàm testimonio humano, & non credendum illi tanquam uoci Dei in ipso loquentis? Verùm istuc per absurdum uidebitur, ut sanctißima nostra fides & Religio Christiana diuinis scripturis comprehensa, non alio fundamento nitatur quàm authoritate humana, siquidem Ecclesia Christiana nihil aliud est, quàm congregatio hominum fidelium.

Deinde

Deinde quid dicemus ad illud quod ipse Christus Dominus de se pronunciauit, non accipere se testimonium ab hominibus. Profectò apparet Augusti- Ioan.5.
num hic à scopo aberrasse & modum excessisse. Sed neutiquam aberrauit aut modum excessit. Rectè & ex spiritu sancto locutus est pientissimus Doctor cùm dixit: Euangelio se non crediturum nisi Ecclesiæ authoritate commoueretur. Non quòd Ecclesia det Euangelio authoritatem: nam ea ab ipso Deo prouenit, sed quia spiritus sanctus, qui Ecclesiam docet ac dirigit loquiturq; per os eiusdem, nos quoq; fideles in hoc mundo per eandem Ecclesiam docet, ea quæ à Matthæo, Marco, Luca, Ioanne scripta sunt, non hominis, sed Dei uocem esse, arcano & secreto quodam modo in his scripturis loquentis, E diuerso autem Nicodemi, Bartholomæi & cæterorum non Dei sed hominis esse uocem: Atq; ita sacrarum scripturarum authoritas, de quibus per instinctum spiritus sancti iudicat Ecclesia, ab ipso eodem spiritu sancto descendit, cuius testimonium maius est omnium hominum testimonijs: quorum quidem Deus pro se (quandoquidem maius testimonium habet, ut scriptum legimus) non eget, utitur tamen illis nonnunq̃ Ioan.5.
non sua causa, sed in commodum nostrum, prout ipse ait, Ego non ab homine testimonium accipio: neq;

enim indiget, ut dictum est, sed hæc dico, id est, adduco testimonium Ioannis, ut uos salui sitis.

Sic & nostræ illud cedit utilitati, neutiquam autem ipsi Christo necessum fuit, mitti hominem à Deo,
Ioan.1. qui testimonium perhiberet de lumine. Sic itidem in rem nostram, non autem suam, Christus Dominus ad
Ioan.15. Apostolos suos locutus est: Vos testimonium perhibebitis de me, quia ab initio mecum estis. Nostram quoq; non suam utilitatem respexit Christus monens
Actor.1. Apostolos suos, priusq̃ in cœlum ascenderet, uos, inquit, eritis mihi testes in Hierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & usq; ad ultimum terræ.

Simili modo, auditores, Catholica & Christiana Ecclesia spiritu sancto illustrata, de authoritate diuinarum scripturarum testimonium tulit, non quòd ipsis scripturis illud necessum fuerit, quæ omnẽ suam authoritatem ab ipso Deo habent, non ab homine: sed quòd nobis fidelibus in hoc mundo eiusmodi summè necessarium sit, ut certò exacteq; nouerimus, quos libros pro ueris, authenticis & Canonicis habere debeamus. Et si quandò exurgant qui animo contumaci in sacra Biblia irruentes, suo arbitratu quidlibet uel suscipiant uel reijciant, eiusmodi ardelionibus aduersum ire, eosdemq; cauere queamus.

Quocirca nemo iam amplius in controuersiam rapere

rapere potest, an in ueteri Testamento Baruch, Tobias, liber Iudith, Ecclesiasticus, liber sapientiæ: In nouo autem Testamento Epistola Pauli ad Hebræos, Epistola Iacobi, Secunda Petri, ultima Ioannis, et liber Apocalypsios pro authenticis et Canonicis scripturis recipi debeant. Quid ità? Quia Ecclesia Catholica, spiritu sancto illustrata, iam nunc de illis testata est, pro Canonicis agnouit, iam olim recepit, & hactenùs perpetuò tales censuit, eoq; omnem ambiguitatem, quæ aliquandò de memoratis alijsq; Bibliorum libris emersit, penitùs sustulit. Atq; ità nunc singulari præpotentis Dei beneficio, cui etiam hoc nomine gratias debemus, in hodiernum usq; diem passim et ubiq; gentiũ, ubicunq; Catholici Christiani degunt, cuilibet notißimũ est & irrefragabile, quatuor Euangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Ioannis, quæ tamẽ omnia unum tantũ sunt Euangeliũ: item epistolas Apostolorũ aliasq; ueteris et noui Testamenti scripturas, certò et uerè esse Biblicos, Canonicos et authenticos libros, qui citrà omne dubiũ á spiritu sancto prouenerint, eoq; meritò ab uniuersis fidelibus summa reuerẽtia et ueneratione sinè ulla contẽtione suscipiendos. Cur aũt? Quia (ut abũdè nunc auditũ est) Catholica Ecclesia Christi Dñi sponsa dilecta eos recepit. Quamobrẽ? Quia spiritus sanctus in sacris Concilijs

de ijs testimonium tulit, Quid ità? Quiá sancti Patres et Ecclesiæ Doctores, nunquam illos reiecerunt, atq; eò nec nos eiusmodi libros reijcimus.

Iam porrò aduertendum, auditores, eosdem illos sanctos Patres & Ecclesiæ Doctores hos quoq; Machabæorum libros neutiquam reijcere. Idem ille spiritus sanctus non minùs de hisce libris quam de alijs testimonium tulit in sacris Concilijs. Eadem denique Ecclesia Christiana, sponsa Christi dilecta, hos eosdem libros suscepit. Cur igitur, obsecro, non hisce libris eandem quam alijs, authoritatem tribuis, quandò non aliam rationem habes quamobrem cæteros recipias tanquam Canonicas, quàm illam ipsam ob quam petimus hos quoq; Machabæorum libros suscipi, & pro Canonicis haberi? Reuera nihil aliud est quam mera pertinacia & priuatus quidam affectus eorum, qui in omnibus ex consilio Magistri sui Satanæ, quod interpretatum, aduersarium significat, semper in contrarium uergunt. Quocirca istiusmodi homines nihil moramur, & Machabæorum libros summa reuerentia & ueneratione pro Canonicis & authenticis scripturis acceptamus. Quamobrem? Quiá nouimus Christianam Ecclesiam, cui Christus sponsus eiusdem, spiritum sanctum promisit, ut cum ea maneat usq; ad consummationem seculi, hos eodem loco habere. Quid

Quid autem nostra interest, quòd Iudæi suis Bi-
blijs illos non accensent, quandoquidem Mater nò-
stra Ecclesia Catholica recepit, nec ignoremus, Iu-
dæos alios quoq; libros ex Canone excluſisse, quos
postmodùm Ecclesia Catholica per instinctum spiri-
tus sancti, qui iuxtà Christi promißionem perpetuò
penès eam permanet, inter Canonicos & authenti-
cos censuit? Sanè D. Hieronymus scribit Iudæos Ec- Hiero. in
clesiasticum excluſisse, quem tamen Ecclesia pro Ca- epist. ad
nonico recipiat. Et rursùs in præfatione in Danie- Chroma-
lem itidem scribit eos Historiam Susannæ, hymnum cium &
trium puerorum, & Historiam Belis prætermisisse, Heliodo.
et fabulas & commenta quædam humana substituisse. Episcop.

Quis nunc tam demens erit & uecors, ut malit
cum Iudæis Machabæorum libros proteruè reijce-
re, quàm cum Ecclesia Catholica iustis ex causis pro
Canonicis recipere? Iudaicum potiùs ille quàm
Christianum habuerit animum. Nos uerò qui pec-
catores quidem nos agnoscimus, attamen Christia-
næ Ecclesiæ membra, eiusmodi libros tanquam obse-
quentes filij recipimus. Iudæi cum suis gregalibus
obstrepant quicquid uelint, quandoquidem charißi-
ma Mater nostra, cui in Religionis & fidei negotijs
obedientiam debemus, illos recepit et pro authenti-
cis censuit atq; etiamnum censet.

Dionyſ. Areop. in Eccleſ. Hierar. Cyp. lib. 3 ad Quir.

Summa, inquam, reuerentia & ueneratione ſuſcipimus, quoniam antè aliquot annorum centurias in Concilio Carthaginenſi poſtmodum in Synodo Trullana confirmato: & rurſùm à Pontifice Gelaſio, et nouißimè à Paulo Tertio in Concilio Tridentino pro Canonicis libris agniti ſunt & recepti.

Item lib. de exhor. Martyr. Aug. cõt. lit. Petil. lib. 1. c. 92

Recipimus & habemus pro libris Canonicis, quandoquidem Excellentißimi Eccleſiæ Doctores, Dionyſius Areopagita, D. Pauli diſcipulus, Cyprianus Martyr, & D. Auguſtinus multas ſententias ex ijſdem libris allegant & uſurpant ad ſanctißimæ fidei noſtræ Chriſtianæ confirmationem.

Item cõt. 2. Gaudẽ. epiſt. li. 2. cap. 27. Aug. de ciuit. Dei li. 18. c. 36 Item de doct. Chr. li. 2. c. 8. et 5. Iſido. 6. Etymol. c. 1. Innoc. I. in epiſt.

Summa reuerentia & ueneratione ſuſcipimus, quandoquidem priſci illi ſanctißimi pientißimiq; Patres & Doctores Eccleſiæ, quorum pleriq; ante annos mille uixerunt eiuſmodi libros receperunt, & pro authenticis & Canonicis habuerunt. Recepit eos D. Hieronymus in 2. præfatione. Recepit ille Doctor Doctorum Auguſtinus, uti eum nominat Lutherus. Receperunt Ambroſius, Caßiodorus, Iſidorus, Innocentius Primus & plures alij.

Nos itaq; ſumma cum ueneratione eoſdem pro Canonicis ſcripturis accipiemus, quandò tam multi doctrina & ſanctimonia conſpicui uiri receperunt, quandò ipſa Eccleſia perpetuò tales eos censuit,

fuit, quandò sacra Concilia agnouerunt. Quocirca enarratas ob causas nihil morabitur nos, quòd Iudæi suis eos libros non accensent. Itidem nil morabitur, quòd nostra tempestate Lutherus, eosdem non omninò pro Canonicis agnouerit quando omnes intelligunt, qua ille fide sacras literas tractauerit.

Noluit ille Iacobi quoq; epistolam recipere blasphemo ore stramineam appellans. Quamobrem? Ea solùm de causa quoniam studio sibi habebat falso & subdolo scripturarum intellectu persuadere hominibus, solam fidem saluificare, opera nihil prodesse. Iam porrò si Iacobi epistolam ratam & authenticam habuisset, sciebat, hoc suum Paradoxon, solam fidem saluificare, locum habere non posse, quandoquidem Iacobus in eadẽ epistola expreßè scribit, Fidem sinè operibus mortuam esse. Eadem arte alios quoq; Bibliorũ libros contempsit & reiecit, quandoquidẽ pleraq; in illis legũtur doctrinæ suæ contraria.

Eadem prorsùs ex causa hos quoq; Machabæorum libros explosit: hi enim si pro Canonicis habendi fuerint, labefiet continuò ipsius hæresis, non esse orandum pro defunctis.

Cæterùm penes uerè et syncerè Christianos illud potiorẽ authoritatẽ habet, q; primùm sacra scriptura, ac deinde quicquid August. Hieron. alijq; sancti-

ad Exuperium Epist. Tolosa. Iudæi & Lutherus reijciunt libros Machab. Cur Lutherꝰ pleros q; uet. & noui Testa. libros reiecerit.

monia & pietate uenerandi Patres & Doctores Ecclesiæ, deniq; quicquid Oecumenica Concilia, atque adeò Catholica & Christiana Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, de huiusmodi quouis tempore censuit ac docuit, quàm quod priuatus quispiam suopte iudicio confisus, proteruè commentus est.

Nulla igitur est, nec esse potest penes uerè Christianos dubitatio, quin Machabæorum libri, legitimi, ueri, Biblici, Canonici sint & authentici. Tales ergò si sunt, uti copiosè declaratum est, sequitur omninò sinè ulla altercatione, uerum esse, iustum, laudabile, diuinum, Canonicum, quicquid in illis scriptum legimus: Eademq; ratione uerà, legitima, laudabilis, diuina & Canonica erit sententia, quam ex ijsdem Machabæorum libris adduximus, & in concionis nostræ exordio usurpauimus. Sancta & salubris est cogitatio exorare pro defunctis, ut à peccatis soluantur. Si itaq; sanctum est, si salubre pro defunctis orare, ij demq; uiuorum suffragijs peccatorum suorum supplicijs exonerantur, ut hic locus expressè declarat, necessariò consequitur, nec quisquam inficiari potest, locum esse quempiam in quo animæ à corporibus iam solutæ, ob admissa peccata castigentur & puniantur, ex quo loco nostris orationibus possint liberari. Hic autem locus, cœlum non est, in

quo

quo non sunt tormenta, sed gaudium, requies & beatitudo. Neq; est infernus, in quem semel delapsus, gradum reuocare non potest. Sed est medius quidam locus, quem Græci κολασήριον, Latini Purgatorium appellant, & in ueteri Testamento tam multis in locis, uti nunc auditum, designatur. Nec in ueteri solùm, uerumetiam in nouo Testamento, unde proxima Concione diuino fauente præsidio latiùs dicemus.

CONCIO QVARTA funebris.

AN IN NOVO TESTAMENTO de Purgatorio quicquam doceatur.

VETERIS Testamenti probationes de Purgatorio, uestra, auditores, humanitas & pietas superiori Concione abundè audiuit: Nunc progrediemur ac dispiciemus, an in nouo insuper Testa-

mento in quatuor Euangelistis alijsúe scripturis Apostolicis quippiam de eo comperiamus. Hic autem non ignoro quosdam callidissimè singula obseruaturos, & si uel uerbum unicum deprehendant quod ex ipsorum ingenio non admodum ad causam faciat, continuò obmurmuraturos, existimantes probè admodùm se nostras elisisse probationes. Ego uerò nihil eiusmodi moror, nec adeò illis commoueor, quandoquidẽ agnosco me de his & alijs controuersis quidem attamen necessarijs articulis Christianæ et Catholicæ religionis nostræ, ex officio teneri uos instituere: illudq; mihi conscius sum, præbente mihi testimonium conscientia, neminem mortalium, qui meas Conciones audiuerit ullo ueritatis colore affirmare posse, nouam, insolentem, peregrinam & hactenùs inauditam scripturarum explicationem unquam á me productam: sed in hac alijsq; quæstionibus controuersis perpetuò diuinarum scripturarum testimonia ex nouo & ueteri Testamento, ex Prophetícis & Apostolicis libris protulisse.

Porrò quoniam ea ipsa nonnunq; uariè torqueri diuersisq; modis explicari possunt, non pro mea opinione ea intellexi et usurpaui, sed eum in sensum semper exposui et adduxi, quo Ambros. Hieron. August. Gregor. & reliqui sanctimonia & pietate commendatissimi

datißimi Patres & Eccleſiæ Doctores acceperunt et interpretati ſunt. Eodem ſenſu & intellectu in hac ipſa materia de Purgatorio, ſcripturas allegaui.

Quæ uobis auditores ex ueteri Teſtamento ad Purgatorij probationem in meis Concionibus propoſui, eadem iam olim antè annos mille piemißimi Patres & Doctores commißis ſibi ouiculis eum in modum explicarunt, et in libris quos etiamnum habemus & legimus, ità & non aliter de eiſdem ſcripſerunt. Eadem ratione, eodemq; ſenſu nunc quoque probationes Purgatorij ex nouo Teſtamento deducemus. Quibus ſi quiſquam nondum uelit acquieſcere, illi qua ratione conſultum eſſe queat, equidē ignoro. Iſtuc autem ſcire eum uolo, non meas ipſum Conciones, ſed ſcripturas diuinas, ex quibus iſtas deſumpſimus & confirmauimus, contemnere. Inſuper contemnit doctrinam D. Ambroſij, D. Hieronymi, D. Auguſtini reliquorumq; ſanctißimorum Patrum & Eccleſiæ Doctorum, qui, proculdubiò, ſpiritum ſanctum habuerunt, plericq; etiam eorum Euangelij doctrinam ſanguine ſuo aſſeruerunt. Verùm nunc audiamus, ubi tandem in nouo Teſtamento ſcriptum quicquam ſit de Purgatorio.

Principio nobis occurrit ſacrum Matthæi Euangelium in quo Dominus & Seruator noſter Chriſtus

Prima Purgato

rij probatio ex nouo Test.

Ioan. 14. Matth. 12

Christus Iesus, ipsissima ueritas sequentia uerba pronuntiat: Quicunq; dixerit uerbum contrà filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contrà spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Hæc sunt uerba, quæ Dominus & Seruator noster Christus Iesus apud Matthæum de Purgatorio loquitur. Quæ uerba, ut equidem existimo, perspicuè satis & expreßè nobis Purgatorium demonstrant. Nam aduertite quæso auditores, Christum Dominum dicere, peccatum in spiritum sanctum neq; in hoc seculo neq; in futuro remittendum. Quibus utiq; euidenter indicat, quædam peccata in hoc seculo & quædam in altero remitti. Cætera peccata remittentur, inquit Christus, peccatum uerò in spiritum sanctum nunquam remittetur, neq; in hoc seculo, neq; in futuro. Ergò quædam utiq; sunt peccata, quæ in futuro seculo remittuntur: alioqui enim Christus Dominus, æterna Dei Patris sapientia, quiq; superuacaneis uerbis uti non solet, neutiquam dixisset, peccatum in spiritum sanctum in futuro seculo non remitti, nisi quædam forent peccata, quæ in futuro seculo remittantur. Sunt igitur omninò quædam peccata quæ homini etiam post mortem in altero seculo remittuntur.

Sunt autem hæc, auditores, de uenialibus peccatis, non

tis, non autem de letiferis intelligenda, atq; item de pœna, quam quis ob admissa peccata iustitiæ diuinæ pendere debebat, & nisi morte præuentus esset, in hac uita necessariò luiturus erat, ultroq; & libenter luisset. De huiusmodi peccatis & peccatorum pœna proculdubio Christus Dominus locutus est, nec aliud denotare uoluit, cùm dixit, Peccatum in spiritum sanctum, nec in hoc nec in futuro seculo remitti, quasi dicat, Quædam sunt peccata, quæ in hoc seculo, quædam quæ in altero demùm remittuntur: peccatum uerò in spiritum sanctum tam immane, tam atrox est & horrendum, ut nec in hoc seculo, nec in futuro remittatur.

Quæ peccata post mortem remittantur.

Quid igitur nunc ampliùs contrà Purgatorium contendes, quandoquidem ipsius Christi Domini testimonium audisti, quædam etiam peccata in futuro seculo post hanc uitam remitti? Istud autem ex suprà commemoratis suprà rationibus, nec in cœlo nec in inferno fieri potest. Ergò in tertio aliquo loco fieri oportet, ubi animæ puniantur quidem ob peccata, attamen definito tempore pœnis exonerentur: uerba enim Christi Domini firma immotaq; permanent, etiam in futuro seculo peccata quædam remitti.

Sed iamdudum audire uideor quempiam secum ratiocinantẽ, aliam hisce Christi Domini uerbis sententiam

tentiam subesse posse. Quam igitur aliâ subesse putabimus? Reuera auditores penitùs persuasum habeo uix aliter intelligi posse hæc uerba, quàm à nobis explicata sunt, nisi fortè quis studio peruertat, et peregrinam quandam expositionem confingat, quæ antea nunquam in Ecclesia Christiana sit audita.

Porrò ut in medium consulatur, & huiusmodi disputatio funditùs tollatur, nullaq; penes nos remaneat ambiguitas de uero horum Christi uerborum intellectu, æquissimos minimeq; factiosos iudices audiemus, quos utraq; pars recipiat, quiq; in suspicionem uenire non possint, quasi uel ex huius fauore, uel alterius inuidia quicquam pronuncient, sed qui uerba planè & simpliciter iuxtà eorundem tenorem intellexerint & exposuerint illo tempore, quo ne ullus quidem de hac disputatione somniauit.

Iudices, ab omni partium studio liberi, uerborum Christi de Purgatorio.

Talem autem mea sententia D. Augustinum esse putauerim, sperans quemlibet eo contentum fore, et pro huius certaminis de uero uerborum Domini intellectu, arbitro & iudice, libenter susceptum, quandoquidem sinè omni controuersia spectatæ fuit sanctimoniæ Doctor, cuius similem ab Apostolorum temporibus usq; in hodiernum diem nunquam habuit Ecclesia, uti pars aduersa suopte testimonio profitetur. Quoniam præterea tot seculis nostram

Aug. ab omni partium studio liber interpres uerborũ Christi.

ætatem

tatem præceßit, eoq; nec in minimam quidem ſuſpicionem deuenire poteſt, quòd uel huic uel illi par iad gratiam locutus ſit: inſuper etiam quia euidens eſt & notißimum, ipſum ſacras literas, in quas maximam uitæ ſuæ partem inſumpſit, exactè intelleuiſſe. Equidem omninò exiſtimauerim, neminem uerè & ſyncerè Chriſtianum, imò neminem cordatum & prudentem, tam integrum, ſanctum tantæq; doctrinæ uirum, tam etiam ab omni partium ſtudio liberum & omnem extrà ſuſpicionem conſtitutum iudicem & arbitratorem, ullo prætextu poſſe repudiare: ſed quicquid ille antè ducentos & mille annos Chriſtianæ doctrinæ conſonum agnouerit et cenſuerit, idipſum eodẽ loco in hodiernũ uſq; diẽ habendũ, ut quomodò ille hæc Chriſti Domini uerba intellexerit, et expoſuerit, etiamnũ intelligenda et exponẽda.

Hic igitur tanta integritate, antiquitate & ſanctimonia uenerandus Doctor Auguſtinus ubi prolixè de ſuffragijs defunctorũ diſputauit, quid, quomodò et quibus ea conducant, de adducta Chriſti Domini ſententia hæc uerba ſubiungit: Neq; n. de quibuſdam ueraciter (à Chriſto) diceretur, quòd non eis remittatur, nec in hoc ſeculo, nec in futuro, niſi eſſent, quibus etſi non in iſto, tamen remittetur in futuro etc. Attendite, quæſo, auditores, quid ſummus

Aug. de ciuit. Dei lib. 21. cap. 24.

ille

ille & incomparabilis Doctor *Augustinus de hu*
Christi Domini uerbis senserit & scripserit. No
enim, inquit, de quibusdam ueraciter diceretur, ni
essent, quibus etsi non in isto, tamen remittetur in fu
turo. Sed perspectum habuit uir sanctissimus, ueru
gnistumq; Christianum, diuino iuuante præsidio, de
cem potiùs mortes omniaq; pœnarũ tormentorum
genera subiturum, quàm ut eò se patiatur induci, u
sentiat Christum falsi quippiam locutum. Absit c
auditores, à mentibus nostris persuasio. Christu
Ioan. 14. *Dominus & Seruator noster ipsissima est uerita*
Mar. 13. *omnis mendacij & fallaciæ expers. Quinimò cælu*
& terra potius transibunt: uerbum autem eius ma
net in æternum. Verum itaq; est, uerumq; permane
in æternum, aduersus omnes inferorum portas, quo
hac sua sententia indicatum uoluit, uidelicet quæda
peccata, etiam in futuro seculo remitti, uti eande
sententiam non solùm D. *Augustinus memorato in lo*
Greg. lib. 4. Dialo. cap. 39. *co intelligit & exponit, sed iam olim etiam antè an*
nos mille, D. *Gregorius, antè octingentos uiginti tre*
uenerabilis Beda, *antè quingentos* D. *Bernardus,*
Beda in c. 3. Matth. Bern. homil. 66. in Cantica. *quorum omnium testimonia non minus quàm* D. *Au*
gustini possem adducere, si temporis ratio patere
tur. Verùm quia prolixius illud futurum esset, exi
stimo uestram, auditores, pietatem, his contentã fo

Quandi

Quandò igitur te impostorum quispiam eorum, qui nihil non carpere & ridere solent, interrogauerit, ubi de Purgatorio (quo usq; adeò nostri Sacerdotes aures nostras obtundunt) neminerit Euangelium, securè & intrepidè respondeto, Christum Dominum & Seruatorem ipsum de Purgatorio loquutum, cùm dixit in Euangelio, peccatum in spiritum sanctum, nec in futuro quidem seculo remittendum. Quibus uerbis abundè eum declarasse, alia quædam esse peccata, quæ etiam in futuro seculo remittantur. Quod ex suprà commemoratis causis nusquam fieri potest, quàm eo ipso in loco, quem unica uoce Purgatorium appellamus. Matt.12.

Verumenimuerò ut euidentiorem adhuc rei demonstrationem habeamus, non hoc tantùm in loco, sed rursùs in Matthæo Christus Dominus clariorib⁹ uerbis de Purgatorio loquitur, dùm inquit, Non exibis inde donec reddas nouissimum quadrantem. Quæ uerba sanctissimus laudatissimusq; Doctor Ambrosius iam ante mille ducentos annos de Purgatorio intellexit. Refertq; ibidem atq; ordine exponit, quomodò Diabolus qui iuxtà Petri doctrinam assiduè nos circumit, tanquam Leo rugiens, ob peccata nos accusat coram Domino: qui deinceps iuxtà sua ipsius uerba, ligatos & proiectos in tenebras exteriores, Secunda Purgatorij probatio ex nouo Test. Matth.5. Ambr.in Luc.li.7. cap.12. 1.Pet.5. Matt.22.

riores, tradat tortoribus excruciandos, à quibus torqueamur & puniamur, donec reddamus nouißimum quadrantem, id est, donec diuinæ iustitiæ, quæ nullum peccatum sinit impunitum, nec quenquam nisi ab omni peccatorum scoria defœcatum, in regnum cœleste admittit, penitùs satisfaciamus, non secùs quàm debitor quispiam existens (nam hac utitur similitudine) quàm diù creditori suo ad minimum usq; teruncium non exoluit, manet in debitorũ catalogo, nec dicitur debitum totum exoluisse. Eadem ratione etiam debitum peccatis imitum, plenè pendi oportere, nec captiuum carcere emancipandum, donec reddat nouißimum quadrantem.

Equidem nihil ambigo quosdam fore, qui hanc quoq; sententiam aliò torquere conentur. Verùm si quis ità omninò uelit, uel uniuersam rerum humanarum scenam queat inuertere et in dubium uocare. Nihil tam clarum, nihil tam euidens & illustre fuerit, quod nequeat in controuersiam rapi, si quis tam proteruè omnia uel reijciat aut alium in sensum peruertat. Eadem facilitate uel Solem quis in cœlo negauerit, aut Deum non esse, aut Christum Dei filium, Psal. 13. *sanctamq; & indiuiduam Trinitatem non amplius adorandam, cuius opinionis quidam paucis retrò annis apud nouos illos Euangelicos extitit.*

Cæterùm

Cæterùm qui piè & ſyncerè Chriſtum profitentur, qui ueritatem diuinam ex ſacris literis nudè & ſimpliciter deſiderant cognoſcere, eiuſmodi hominum proteruos, malignos & futiles clamores nihil morantur, ſimpliciterq; in diuinarum ſcripturarum textu perſtant, nec nouum earundem inauditumq; & peregrinum intellectum ſuo ingenio confingunt, ſed intelligunt & exponunt, uti ueteres olim Chriſtiani intellexerunt, pijq; & ſancti Eccleſiæ Doctores explicuerunt. Sic igitur nec hic ſyncerus quiſpiam addubitat Chriſtum Dominum de Purgatorio locutum, ubi dicit: Non exibis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. Quid ita? Quia textus idipſum præ ſe fert, & D. Ambroſius atq; itidem alij non aliter intellexerunt & expoſuerunt. I nunc tu quiſquis tam proteruè Purgatorium exibilas, gloriare te rectiùs intelligere ſcripturas D. Ambroſio, te uelut omnium cornicum oculos configentem, perſpicaciorem magisq; uerſatum in ijſdem tanto Eccleſiæ Doctore proclamites. Ego uerò putarim ſi te penitiùs aliquantò ad ſpeculum contempleris, pedem adhuc aliquantiſper retracturum, priusq; in ſcripturis explicandis te D. Ambroſio æquipares, eoq; minùs nobis in culpa poſiturum, ſi hic ipſi D. Ambroſio potiùs quam tibi fidem habeamus.

Ambrosius sinè omni controuersia integer, sanctus & excellens Doctor & Episcopus extitit, qui tota uita sua nihil tanto sibi studio habuit, quàm qua potissimùm ratione uerum germanumq; diuinarum scripturarum sensum posset inuestigare, eoq; inter quatuor præcipuos Ecclesiæ Doctores relatus. Hic docet ac demonstrat Christum in hac sententia de Purgatorio locutum. Vtri nunc potiorem fidem habebo, tibine an illi? Putauerim sanè quemuis cordatum, uesaniæ notam mihi inusturum, si deserto Ambrosio, tibi applaudam, tibi in Religionis negotio potiùs credam, quam tali ac tantæ sanctimoniæ Præsuli, quem etiam Theodosius Imperator reueritus est. Incredibilis esset fastus & superbia, si hoc à me desiderares: summa stolidissimaq; temeritas, si tuo desiderio acquiescerem. Persistimus igitur in ea explicatione, quam D. Ambrosius iam olim antè annos mille protulit, ouiculisq; suæ fidei commissis proposuit. Nec ullatenùs ambigimus, Christum Dominum hac sententia Purgatorium designasse, in quo animæ uelut in carcere puniantur ac torqueantur, donec exoluant nouissimum quadrantem, id est, donec diuinæ iustitiæ satisfaciant, & ab omnibus peccatorum sordibus mundatæ ingredi possint cœlestẽ Hierusalem, in quam attestante Ioanne, nihil coinquinatum introibit.

Niceph. Ecc. Hist. li. 12. c. 14

Theodor. li. 5. c. 19.

Hist. trip. li. 9. c. 30.

Apoc. 21.

De hoc eodem loco D. Paulus Apoſtolus ſcripſit in epiſtola ad Philippenſes, ubi inter cætera ait, ut in nomine Ieſu flectatur omne genu, Cœleſtium, Terreſtrium & Infernorum. Iam autem quiuis per ſe nouit & intelligit, illos qui Inferno & æternæ damnationi mancipati ſunt, Chriſtum non laudare, non uenerari, non prædicare, multò minùs in nomine Ieſu genua flectere, ſed longè magis eundem execrari, criminari, blaſphemare & extremè deteſtari, non minùs quàm hìc in terris eum blaſphemarunt & execrati ſunt. Quocirca hæc Pauli uerba, quòd in nomine Ieſu flectantur genua Infernorum, nullatenùs de damnatis in Inferno exiſtentibus, ex enarratis cauſis, intelligi poſſunt: ſed accipienda ſunt de illis quì ſub terra quidem, ſed non in inferno, quiq; necdum in cœlis, ſed in eiuſmodi loco detinentur, ex quo definito tempore, certò per gratiam Dei in cœlos migraturi ſunt: & ſi omninò in medium pronuntiare debeam, eodem in loco, de quo nunc ſermonem inſtituimus.

Philip. 2.

Tertia probatio Purgatorij ex no uo Teſt.

Pſal. 6.

Pſal. 113.

Eſa. 38.

De hoc loco D. Paulus Apoſtolus, uas electionis, tam perſpicuè, tam clarè & expreſsè ſcripſit, ut ſi quam uim habere debeant ſcripturæ, ſi teſtimonia Pauli ullam demonſtrandi energiam obtenura ſint, impoſsibile exiſtimem, quenquam Purgatorium infi-

Quarta Purgatorij proba tio ex no uo Teſt.

1.Cor.3. ciaturum. Ipſa igitur eius uerba audiemus, quæ hoc modo ſonant. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, uniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuſcuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.

Quid ſit auru, argentum et lapides precioſos ſuper fundamentu quod eſt Chriſtus ædificare

Hæc ſunt, auditores, quæ D. Paulus Apoſtolus de Purgatorio ſcripſit, ijſdemq; uerbis duo hominum genera nobis ob oculos ponit. Alios ſuper Chriſtum Dominum uelut ſalutis noſtræ fundamentum, aurum & argentum, id eſt, bona, pia & laudabilia opera toto uitæ ſpacio omni quo poſſunt ſtudio ſuperædificare. Et de huiuſmodi quidem nihil ambigitur, quandoquidem Chriſtum inprimis fundamentum & lapidem angularem ſalutis noſtræ habuerunt, agnouerunt, & in ipſum crediderunt, ac deinde ſuper illud fundamentum omnifaria opera bona ædificarunt, æternam eos lætitiam & felicitatem ſine ulterioribus pœnis poſt hanc uitam conſequutos.

E diuerſo

E diuerso, sunt alij, quos habuisse quidem fundamentum Christum Iesum refert Apostolus, uerùm huic bono fundamento bonum ædificium non inædificarunt, non aurum aut argentum, ut alij, sed lignum duntaxat fœnum & stipulam superstruxerunt, id est, ut quilibet clariùs intelligat, susceperunt quidem fidem Christianam, & in Christi nomine baptizati sunt, atq; ita uerum & primarium salutis nostræ fundamentum, nempe, fidem habuerunt: sed huic fundamento non aurum & argentum, id est opera non admodùm bona, sed mala superædificarunt, quòd mundanis caducisq; bonis plus studuerunt, quàm honori Christi, quòd carnis uoluptati immoderatiùs uacauerunt, aut aliud quid admiserunt quod membro Christi minùs conueniebat. Ecce de talibus pronunciat Apostolus, quod ratione ligni, fœni et stipulæ, quæ superædificarunt cùm aurum & argentum debuissent superstruere, non prorsùs damnentur, sed seruandos eos ob seruatum fundamentum Iesum Christum in quem crediderunt, per ignem tamen, in quo lignum, fœnum & stipulæ, id est inutilis labor et futile ædificium, ipsorum non admodùm bona opera, consumi oporteat, donec ab omni scoria expurgati, ingredi queant in cœlestem Hieruſalem, in quam nihil coinquinatum intrabit. Hic igitur ignis de

Quid sit fundamentum Christum ædificare

Apoc. 21.

quo loquitur hic Apostolus, ipsum est Purgatorium, in quo docemur, eos qui in gratia quidem & charitate Dei hinc excedunt, attamen uenialibus peccatis grauati, aut non impleta pœnitentia & satisfactione defuncti sunt, castigari, donec ab omni spurcitie mundati, diuinæ iustitiæ satisfaciant. Quid nunc ulteriùs requirimus, auditores? Nonne uidetur uobis Purgatorium ex nouo Testamento affatim probatum?

Si igitur hæc D. Pauli uerba (dicet quispiam) eam planè habent sententiam, quam tu adduxisti, muneri tuo satisfeci sti, & Purgatorium ex nouo Testamento dilucidè demonstrasti. Scire autem desiderauerim, quis in hac expositione tibi astipuletur. Eò prô dolor nouissimis & molestissimis hisce temporibus, (quibus iuxtà Christi & Ioannis uaticinium, multi 1. Ioan. 4. Pseudoprophetæ exierunt in mundum) deuentum Matt. 24 est, ut uix tam insolens & absurda hæresis proferri possit, quæ non aliquo scripturæ cuiuspiam prætextu se fucare & palliare norit, & quemadmodum Ambr. in cap. 3. ad Tit. Aug. epist. 61. Item in prol. hypognost. Ambrosius & Augustinus scribunt, hæretici legem per uerba legis impugnant, Christi signum aduersus Christum ferentes, gloriantes de Euangelio ex Euangelio quod non intelligunt, ita ut plebeius quispiam & simplicior, perplexissimus cui fidem præbere debeat, ignoret. Imò quantò speciosiùs adducuntur ex scri-

ex scripturis testimonia, tantò penè magis necessum fuerit, ut fideliter monet Origenes, ut sedulò aduertamus ne præclaro scripturarum prætextu, decipiamur & in errores seducamur. Orig. ho. 3. in Luc.

Enimuerò uerissimum est, omnibus hæreticis, Pseudoprophetis et populi seductoribus familiarissimum esse, ut subdola & uenenata sua paradoxa, uerbo Dei palliare conentur, nec nostra primum tempestate id natum est, iam olim enim antè annos mille eo ingenio fuerunt hæretici. Chryſ. in ſerm. ad uerſ. hær. Tom. 3. Omnes Pſeudoprophetæ uerbũ Dei ſuæ doctrinæ prætendunt.

Damnatus ille hæresiarcha Arrius, quadraginta diuinæ scripturæ loca adduxit, quibus probare contendebat, Christum Deo Patri non esse ὁμόυσιον & consubstantialem. Aug. li. 1. contrà Maximi. Greg. Nazian. in ſer. de ſpirit. ſanct.

De Maximino hæretico scribit Augustinus, prorsùs nihil eum uoluisse recipere, quod expressa scriptura non demonstraretur. Itidem fecit Macedonius hæreticus, ut scribit Gregorius Nazianzenus.

Sabellius falsò docuit, patrem & filium unam tamùm esse in diuinitate personam: Nestorius, Mariam non esse θεοτόκον & Deiparam. Nouatus relapsis pœnitentiam & gratiam negabat. Manichæi uniuersum uetus Testamentum reijciebant. Contrario modo Cerinthus & Ebion uolebant uetus Testamentum, Circumcisionem & cæteras Mosaicas leges seruari debere.

Hanc Satanicam, damnatam & hæreticam doctrinam idem illi Pseudoprophetæ semper conati sunt scripturarum sacrarum testimonijs demonstrare. Quocirca nemini in culpa ponendum existimauerim si non continuò manibus pedibusq; sententiæ illius accedat, qui glorietur sua paradoxa stabiliri scripturis, quandoquidem in procliui est, ut uerba quis habeat scripturæ, uerum autem eiusdem sensum non habeat, utq; scripturam quis adducat, aliter autem intelligat, quam debebat.

Quid uerò auditores, si doceam & clarè demonstrem, recitatam suprà sententiam Apostoli, qua Purgatorium probauimus, non scriptores duntaxat Papisticos, quod fortassis nonnulli prætendere possent, ab annis centum, ducentis, trecentis et quadringentis, sed iam olim ab annis mille, plurimos integerrimos, sanctissimos pientissimosq; Patres & Ecclesiæ Doctores eundem in modum intellexisse & explicuisse? Equidem existimarim te hos arbitros & hanc D. Pauli expositionem salua conscientia non posse repudiare, sed potiùs ipsorum, & proinde meam illi per omnia consentaneam, promptè et alacriter, utpote ne in minimo quidem suspectam, susceptorum. Quod & D. Augustinus docet & causas cur ità fieri debeat, sequentibus uerbis indicat. Vt in eis timeat,

timeas, inquit, non ipsos, sed illum, qui sibi eos uti- Aug. ad-
lia uasa formauit: qui tunc de ista causa iudica- uers. Iu-
runt, cùm ab odio, amicitia, inimicitia, ira uacui lian. lib. 2
erant etc.

Si quis ciuilem aliquam controuersiam in iudi- Iudices
cium deducendam habeat, optat sibi, nec immeritò, et exposi
iudicem ab omni partium studio liberum, quiq; in tores scri
hanc partem non magis propendeat, quam in alte- pturarũ
ram, quandoquidem mens hominis eiusmodi affecti- ab omni
bus sæpenumerò occœcatur, ne ueritatem tam clarè partium
perspiciat. Placeant igitur in explicandis Apostoli studio li-
uerbis integerrimi, sanctissimi pientissimiq; Patres beri.
& Doctores, eosq; iudices & interpretes recipia- Aug. li. 2.
mus, quoniam tot seculis nostram ætatem præcesse- cont. Iul.
runt, eoq; nullam prorsus in suspitionem uenire pos- Vincent.
sunt, quasi uel odio cuiusquam uel fauore, sententiam Lyrin. ad
tulerint. Atq; in hoc sequemur doctrinam D. Augusti uers. hæ-
ni, qui perpetuò scripturas ex sensu & interpreta- res.
tione sanctorum Doctorũ aduersus Iulianum produ Quæ ue-
xit: ac deindè exemplum ducentorum Patrum, qui in ra & ab
Concil. Ephes. religionis controuersias dirempturi omni su-
conuenerunt, atq; uti scribit Vincentius Lyrineñ. con spicione
eluserunt, ut exorientibus in Religione cõtrouersijs, libera
illud Catholicissimũ, felicissimum atq; optimum ha- scriptu-
beatur, ut sanctorum Patrum sententiæ in medium ræ intera
proferantur, pretatio.

proferantur, quorum alios Martyres, alios Confessores, omnes uerò Catholicos Sacerdotes fuisse & permansisse constet, ut scilicet ritè atq; solenniter ex eorum consensu atq; decreto, antiqui dogmatis religio confirmetur, & prophanæ nouitatis blasphemia condemnetur.

Ad huius doctrinæ exemplorumq; imitationem, in hac Pauli sententia (ut tandem omnis controuersia tollatur) eos interpretes, qui nulli suspecti esse possint, quandoquidem sanctitate & doctrina claruerunt, pleniq; fuerunt spiritu sancto, atq; adeò antè annos mille uixerunt, audiemus.

Et primus quidem sese offert, sanctissimus Doctor, & Christianæ fidei propugnator Augustinus. Quid autem tibi de eo uidetur? Putasne eum fore authenticum scripturarum interpretem, aut quicquam in ipso desiderari? Ego uerò non putarim, quandoquidē Lutherus eum non solum agnoscit, uerumetiam Doctorem Doctorum cui similem Ecclesia ab Apostolico seculo non habuerit, appellat.

Luth. in consolatoria epist. ad puerperas etc.

Aug. ser. 4. in commemoratione omnium animarum.

Hic Doctorum Doctor, adductam Pauli sententiam explicat his uerbis.

Multi sunt qui lectionem istam malè intelligentes, falsa securitate decipiuntur: dum credunt quod si supra fundamentum Christi capitalia crimina ædificent,

ficent, peccata ipsa per ignem transitorium posſint purgari, & ipsi postea ad uitam perpetuam peruenire. Intellectus iste, charisſimi fratres, corrigendus est, quia ipsi se seducunt qui taliter sibi blandiuntur. Illo enim transitorio igne, de quo dixit Apostolus: Ipse autem saluus erit sic tamen quasi per ignem, non capitalia sed minuta peccata purgantur etc. Quicunq; enim aliqua de maioribus peccatis in se dominari cognouerit, nisi dignè se emendauerit, & si habuerit spacium, longo tempore pœnitentiam egerit, & largas eleemosynas erogauerit, & à peccatis ipsis abstinuerit: illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sinè ullo remedio cruciabit.

ET PAVLO POST.

Quibus (minutis) peccatis licet occidi animam non credamus, ità tamen eam uelut quibusdam pustulis & quasi horrenda scabie, deformem faciunt, ut ad amplexus illius sponsi cœlestis aut uix aut cum grandi confusione uenire permittant. De quo scriptum est: Aptauit sibi Ecclesiam non habentem maculam aut rugam. Et ideò continuis orationibus & frequentibus ieiunijs & largioribus eleemosynis & præcipuè per indulgentiam eorum qui in nos peccant,

cant, aßiduè redimantur, ne fortè ſimul collecta, cumulum faciant, & demergant animam. Quicquid enim de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo dixit Apoſtolus:

1. Cor. 3. Quiâ in igne reuelabitur etc. Et ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur. Aut enim dum in hoc mundo uiuimus ipſi nos per pœnitentiam fatigamus, aut certè uolente aut permittente Deo, multis tribulationibus pro iſtis peccatis affligimur.

Et tamen ſi Deo tanquam boni filij gratias agamus, & minùs nos pati quàm meremur, cum uena humilitate proferamus, ità peccata ipſa in hoc ſeculo purgantur, ut in futuro ille ignis Purgatorius, aut non inueniat, aut certè parùm inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulatione Deo gratias agamus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipſi tamdiù in illo Purgatorio igne moras habebimus, quàm diu ſupradicta peccata minuta, tanquam ligna, fœnum, ſtipula conſumantur. Sed dicet aliquis, Non pertinet ad me quàm diu moras habeam: ſi tamen ad uitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat fratres chariſſimi, quiâ ille Purgatorius ignis durior erit quàm quod poteſt in hoc ſeculo pœnarum uideri aut cogitari aut ſentiri. Et cùm de die iudicij ſcriptum ſit, quòd erit dies unus tanquam mille anni, et mille anni tanquam

Quanta ſit Purgatorij pœna iuxtà D. Aug. Pſal. 99.

dies

dies unus, unde scit unusquisq; utrum diebus an mensibus, an fortè etiam & annis per ignem illum sit transiturus? Et qui modò nec unum digitum suum in ignem uult mittere, timeat necesse est uel tunc paruo tempore cum anima et toto corpore cruciari. Et ideò totis uiribus unusquisq; laboret, ut capitalia crimina possit euadere, et minuta peccata ità operibus bonis redimere, ut de ipsis nihil uideatur remanere, quod ille ignis possit absumere. Illi aũt qui capitalia crimina committunt, si quàm diù uiuunt, ea redimere pœnitentiæ medicamentis noluerint, ad illũ ignem de quo dixit Apostolus, Ipse aũt saluus erit, sic tamẽ quasi p ignem. sicut iam dictum est, uenire non poterunt, sed magis illam duram et irreuocabilẽ sententiam audituri sunt: Discedite á me maledicti in ignẽ æternum. 1.Cor.3. Matt.25.

Et paulò post in eadem Concione. Omnes sancti, inquit, qui Deo fideliter seruiunt, lectioni uel orationi uacare & in bonis operibus perseuerare contendunt, nec capitalia crimina, nec minuta peccata, id est, ligna, fœnum & stipulam, supra fundamentum Christi. sed bona opera, id est, aurũ, argentũ, lapides precioſos superædificantes, per ignẽ illum de quo dicit Apostolus, Quia in igne reuelabitur: absq; ulla uiolatione transibũt. Illi uerò qui quamuis capitalia crimina nõ admittant, et ad perpetrãda minuta peccata sunt

ta sunt faciles, & redimenda sunt negligentes, ad uitã æternam pro eo q; in Christum crediderunt, & capitalia peccata non admiserunt, uenturi sunt, sed priùs aut in hoc seculo per Dei iustitiam, uel misericordiam, sicut iam dictum est, amarissimis tribulationibus sunt coquendi, aut illi ipsi per multas eleemosynas, & præcipuè dùm inimicis suis clementer indulgent, per Dei misericordiam liberandi, aut certè illo igne de quo dicit Apostolus longo tempore cruciandi, ut ad uitam æternam sinè macula & ruga perueniant. Illi uerò qui aut homicidium, aut sacrilegium, aut adulterium, uel reliqua his similia commiserunt, sicut iam dictum est, si eis digna pœnitentia non subuenerint, non per Purgatorium ignem transire merebuntur ad uitam, sed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem. Et ideò quoties in lectione Apostolica audieritis: si quis supra fundamentum Christi superædificat aurum, argentum, lapides pretiosos, de sanctis hoc & perfectis Christianis accipite, qui uelut aurum purgatum merebuntur ad æterna præmia peruenire. Illi uero qui superædificant ligna, fœnum & stipulam, de bonis Christianis, sed negligentibus minuta peccata purgare, ut sæpè dictum est, intelligite, quæ peccata si nec diuina iustitia multis tribulationibus purgauerit, nec unus-

quisq;

Purgatorium & in hac & in futura uita iuxtà D. Augusti.

Quid Apostolus per aurũ argentum lapides pretiosos lignum, fœnum, stipulam intellexerit iuxtà D. Aug.

quisq; eleemosynarum largitate redemerit, nòn sine grandi dolore in illis implebitur illud quod dicit Apostolus: si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autẽ saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

Eccè auditores, hæc D. Augustinus iam ante annos mille in hanc Pauli sententiam commentatus est. Sic intellexit, sic explicuit, sic de ea docuit. Quid habes nunc ulteriùs quòd nostræ expositioni, in hæc Pauli uerba adductæ, opponas? Equidem existimo te pro legitima, Christiana & Euangelica, atq; ità Purgatorium uelut legitimum, Christianum et Euangelio consonum, agniturum: nisi fortè hunc tam incomparabilem Doctorem & Christianæ Religionis iudicem Augustinum talem nobis esse persuadeas, qui nihil cum fide Christiana & Euangelio commune habeat, quem tamen non solùm uniuersus orbis Christianus pro uiro sancto habuit & inter quatuor præcipuos Ecclesiæ Doctores recensuit, uerum ipse quoq; Lutherus Doctorem omnium Doctorum appellauit & prædicauit. Cæterùm istuc tibi ἀδύνατον est, cogerisq; Augustino suam existimationem saluam relinquere, etiamsi rumparis.

Doctrina de Purgatorio est Euangelica.

Porrò copiosa hæc uerborum Pauli expositio sanctißimo Doctori non casu aut per incuriam elapsa est: eundem enim in modum eadem Apostoli uerba in

In Enchi. c.68.69. & seqũ. Aug. de 8 Dulcitij quæst. q.1 Amb. sup epis. Pau. 1.Cor.3. Item sup 118. Psal. Item in orat. funeb. Imp. Theod. Hiero. in epis. Pau. 1.Cor.3. Item con. Iouin. & sup Esai. li.18. in fi. Gregor. Mag. lib. dialog. cap.39.

alijs multis librorum suorum locis, ubi tulit occasio intellexit & interpretatus est. Lege librum 22. de ciuitate Dei c.21. alijsq; præcedentibus et sequentibus capitibus, & comperies eum simili modo exponere. Consule Enchiridion ipsius ad Laurentium, ibidem similia inuenies. Item librum ad Dulcitium, ubi rursus hanc Pauli sententiam eundem ad modum sic interpretatur.

Accedit quòd nec D. August. tantùm hæc Apostoli uerba sic intellexit, ne quis fortè obijciat eum aliquid humanitùs passum, & in hoc non secùs atq; in alijs quæ ipsemet retractauit, errare potuisse: uerùm D. Ambrosius quoq; hæc uerba sic intellexit, in commentarijs suis in hanc Pauli epistolam. Item in explicatione Psalmi 118. Deniq; in oratione funebri Imperat. Theodosij. Eundem in modum hunc Apostoli locum intellexit D. Hieronymus, primùm in commentarijs in Epistolas Paulinas. Deindè contrà Iouinianum. Postremo in commentarijs in Esai. Gregor. Magnus quoq; eandẽ huius loci adfert expositionem. Alcuinus etiam Præceptor Caroli Magni huic expositioni astipulatur. Accedit huic sententiæ Theodor. Episcop. Cyrensis in commentarijs Paulinis. Nec alium adfert sensum glossa ordinaria. Et quis tandem uniuersos illos Patres ac Doctores enumerauerit,

hunc

hunc locum cum D. Augustino consono ore explicantes? Theod. Episcop. Cyr. sup. 1. Cor. 3.
Vnde iam affatim colligimus ipsum hanc interpretationem maturo, præmeditatoq; consilio, non autē temerè et præcipitāter, ut fortassè nonnulli existimauerint, produxisse, suisq; auditoribus prædicasse: toti aūt Christianorum posteritati legendā conscripsisse.

Nos igitur eam Apostoli sententiam, cum Augustino, Ambrosio, Gregorio Magno, alijsq; sanctissimis Patribus et Ecclesiæ Doctoribus intelligimus, quandoquidem nihil ambigimus, hanc tam concordem & consonam sanctorum Patrum doctrinam, non aliundè quàm ex spiritu Dei, qui spiritus est ueritatis & concordiæ, prouenire.

Quamobrem ex hoc Pauli cæterisq; tam ueteris quàm noui Testamenti locis adductis, ueroq; & Catholico intellectu eorundem, nihil addubitandum est, ignem esse Purgatorium, in quo peccatis uenialibus adhuc grauati, aut qui idonea pœnitentia de peccatis seipsos non dijudicarunt, a iustissimo Deo per ignem iudicentur & corripiantur, donec ab omni labe depurati, diuinæ iustitiæ, (quæ nullum bonum sinit irremuneratum, nec malum impunitum) satisfaciant. Quod ipsum & Lutherus agnoscit, Credo, inquit, Purgatorium esse, & consulo suadeoq; credendum, sed neminem uolo cogi. Luth. in assert. art. 37.

Nec quicquam hic morabimur illos, qui leuia & uenialia delicta extingui aiunt, si quis mortem patienter sustineat, quandoquidem Christus Dominus ipse expressis uerbis dixit, etiam de quolibet uerbo otioso reddendam nobis rationem. Illud autem futurum non erit, atq; ità (quod auditu horrendum est) Christi uerba uera non erunt, si quicquid uenialium peccatorum residuum erit, per mortem penitùs tollatur & aboleatur. Eoq; oportet (si modò Christi uerba uera permanebunt) eiusmodi uenialia peccata per ignem purgari.

Matt. 12.

Sed nec illud fidem nostram remorabitur, quòd uocabulum, Purgatorium, nusquam in scripturis diuinis expressè legatur, cùm res ipsa ex utroq; Testamento iam affatim demonstrata sit. Vndè stolidi atq; adeò maligni fuerit animi, de nomine contendere, cùm res per se certa sit. Accedit, quòd multos fidei nostræ Christianæ articulos certos indubitatosq; habemus, qui tamẽ nusquam in scripturis diuinis tam expressè uti nos eos credimus & profitemur, legunur.

Multa credimus quæ in sacris literis expressa nõ sunt.

Sic credimus & profitemur sanctã indiuiduamq; Trinitatem, & tamen ipsum Trinitatis nomen nec in ueteri nec nouo Testamento legitur. Credimus Christum Iesum Patri ὁμούσιον & consubstantialem, & tamen nusq; hoc nomen in Bibliis legitur, quod suæ hæresi prætendebat Arrius. Cre-

Credimus duas esse distinctas naturas, humanam & diuinam in Christo, non respecto eo, quòd Eutyches in Chalcedonensi Concilio uociferabatur, nusquam se in scripturis duas in Christo naturas comperire. Conciliū Chal. act. 1. & 5.

Credimus, nec ullus fidelium ambigit, spiritum sanctum uerum esse Deum, non considerato eo, quòd Macedonius hæreticus proposuerit, spiritum sanctum nusquam in Bibliis Deum appellari. Gregor. Naz. li. 5. Theol.

Inuocamus & adoramus Christum Dominum, spiritum sanctum & SS. Trinitatem, & non sustinemus hinc abduci, quòd olim, & nostra etiamnum ætate quidam docuerint, nusquam illud in scripturis præceptum.

Credimus puram, castam laudatissimamq; uirginem Mariam esse & appellari posse θεοτόκον, id est, Deiparam, & tamen scripturæ nusquam eam θεοτόκον aut Deiparam appellant. Cyrill. epist. 1. Tom. 4.

Credimus legitimum Christiq; uoluntati et Euangelicæ Doctrinæ consentaneum, infantes qui nec seipsos norunt, nec quid circa se agatur, intelligunt, baptizandos, nec tamen uspiam illud in Euangelio expresse præcipitur.

Hos aliosq; id genus Christianæ religionis articulos credimus nec ullus uere Christianus quicquam de

illis ambigit, nec tamen uſpiam expreßè, uti eos profitenur & credimus, in ſcripturis ſacris legantur, tametſi ijdem articuli in ſe non aduerſentur ſcripturis, ſed ex illis non quidem expreßè, ſed per conſequentiam, ut loquuntur Dialectici, deducantur ac demonſtrentur. Quocirca & Purgatorium credemus, tametſi uox ipſa Purgatorium, nuſquam in Biblijs legatur, quandoquidem res ipſa multis paßim in locis denotatur. Magnæ autem ueſaniæ foret, imò et malitiæ, uti antè diximus, ſi de nomine multùm contendamus, cùm res ipſa nullam habeat controuerſiam.

Nec hanc de Purgatorio fidem in nobis ſubuertet, quòd Chriſtus Dominus duo tantum loca commemorauerit, quo defuncti deueniant, Infernum uidelicet, in quem mali & infideles: & Cœlum in quod boni & fideles transferuntur: quandoquidem animæ in Purgatorio peccata ſua luentes, fidelium numero accẽſendæ ſunt, nõ minus quam peccatores in hoc mundo pœnitentiam agentes, eoq; definito tempore in alterum illorum locorum à Chriſto commemoratorum, nempe in Cœlum ſinè omni dubio migrabunt, niſi quòd in ipſa uia remoram quandam patianur.

Sed neq; illud à confitendo Purgatorio nos abſterrebit, quòd quidam dictitant, Chriſtum ſanctißima paßione & innocentißima morte ſua pro peccatis noſtris

nostris satisfeciſſe: Tametſi.n.Chriſtus Dominus tot ſupplicijs atq; adeò morte ipſa demùm pro nobis perpeſſa, pro uniuerſis peccatis noſtris abundè ſatisfecerit: non tamen ideò ſatisfecit, non ideò paſſus eſt, ut nos porrò nihil patiamur, nec ulla expiatione peccata noſtra luamus. Neutiquam, auditores. Quinimò exemplum potiùs dedit nobis, ut Petrus ſcribit, ut ſequamur ueſtigia eius, ut quemadmodum ipſe crucem portauit in qua peccata noſtra innocentiſſimus dependit, ità & nos uarijs peccatis contaminati, crucem noſtram feramus, ipſo dicente, ſi quis uult poſt me uenire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Matt. 16.

Chriſtus non ideò paſſus eſt ne nos quicquã patiamur. 1.Pet.2.

In ſumma, neutiq; uoluit Chriſtus Dominus ſanctiſſimã paßionẽ ſuam, innocentiſſimã mortem, acerbiſſima tormenta et ſupplicia ſua palliũ eſſe & operculũ omnis turpitudinis, ut quoniam ille pro peccatis noſtris ſatisfecit, nos ideò putemus indultum nobis atq; adeò decorum, ſi magno illi idolo uentri ſeruiamus, in ſordibus quorumlibet peccatorũ uolutemur, eaq; omnia faciamus quæ animo allubeſcant: alioqui.n. ſeuera hæc et formidabilia uerba apud Lucam non pronuntiaſſet: niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis. Nõ in parabola dixiſſet, Redde rationem uillicationis tuæ. Non dixiſſet, hominem de omni Luc. 13. Luc. 16. Matt. 12.

1. Cor. 3. uerbo ocioso rationem redditurum. Non docuisset Apostolus debere nos ipsos dijudicare, ne à Domino iudicemur.

Non igitur consequitur: Christus pro peccatis nostris satisfecit, ergò non opus est nos ampliùs satisfacere. Licet enim Christus Dominus abundè pro peccatis nostris satisfecerit, nihilominùs assiduè adhuc satisfacere nos oportet, & iuxtà doctrinam D.
Matth. 3. Ioannis, continenter facere dignos pœnitentiæ fructus. Et si dùm uiuimus, negligentiores in hoc fuerimus, nihil certius est, quàm nos per ignem, de quo
1. Cor. 3. Paulus locutus est, purgari oportere, priusquam in cœlestem Hierusalem, in quam nihil coinquinatum ingreditur, suscipiamur. Quî ignis propterea rectè & aptè unico uocabulo Purgatorium nancupatur.

Quamobrem à doctrina & confessione Purgatorij ne in minimo quidem nos abducunt enumeratæ aliæq; id genus obiectiones, quas fortè nonnulli queant obijcere: Sed his omnibus non consideratis, firmiter credimus & profitemur, ex quibusdam ueteris Testamenti sententijs, ex uerbis Christi in nouo, ex doctrina Apostoli Pauli, ex consensu plurimorum sanctorum pientißimorumq; Patrum, ex præcepto Ecclesiæ Catholicæ, quæ errare non potest, esse Purgatorium.

gatorium. Neq; ſolùm credemus Purgatorium exiſtere, uerumetiam iuxtà fidelem paternamq; Diui Auguſtini doctrinam per ueram legtimamq; pœnitentiam, priuſquam hinc per mortem abripiamur, nos ipſos dijudicabimus & corripiemus, ut pœnas illas euadamus, et per meritum paßionis et mortis Chriſti Ieſu ſinè omni impedimento lætitiam & felicitatem æternam conſequamur, & cum omnibus ſanctis & electis Dei in æternum poßideamus. Amen.

CONCIONVM FVnebrium Quinta.

QVOMODO ANIMABVS in Purgatorio ſubueniendum, &, an pro illis orandum ſit.

MAGNAM in ſpem erigor, auditores humaniſſimi, quemlibet uere ſyncereq; Chriſtianum ea declaratione, quam diuino fa-

uente præsidio uobis de Purgatorio, nullius odio aut inuidia ductus, sed ad doctrinam & institutionem uestri (quando quidem scire uos, necessum est) ex diuinis scripturis proposui, satis & abunde contentum fore, nec de Purgatorio, quod quidam hac tempestate adeò nulla ratione admittunt, ullam dubitationē habiturum. Tametsi equidem copiosiùs, et pluribus aliis utriusq; Testamenti locis istud demonstrare possem. Attamen quoniam omninò existimo uestram humanitatem huic demonstrationi acquiescere, & prolixum alioqui foret, modum hic & terminum probandi statuemus.

Iam autem non ignoro, plures sinè dubio ex uobis secum considerare, si eum in modum res sese habeat, ut hactenùs auditum est, ut animæ illorum, qui in hoc seculo perfectam non egerunt pœnitentiam, post hanc uitam in igne, uti loquitur D. Paulus purgen-
1. Cor. 3. tur & torqueantur, magnum illud non immeritò dolorem & tristitiam nobis in hoc mundo adhuc degentibus allaturum: Non solùm quandò consideramus fortè breui & nobis euenturum ut igne illo purgari nos oporteat, uerumetiam quandò expendimus, charissimos nostros parentes, sorores, & fratres cognatos & necessarios in igne illo fortassis ob peccata hic admissa summis cruciatibus exerceri.

Consideret

Consideret quilibet secum, si perspectum haberet charissimum parentem suum, matrem, sororem, fratrem, filium aut filiam in hoc mundo alicubi uinctum captiuumq; detineri, horrendisq; pœnis et supplicijs excruciari, quid moliturus sit, ut suo eum auxilio iuuare queat. Equidem putarim talem nec diu nec noctu quieturum, nulli diligentiæ, nulli molestiæ, nulli labori aut sumptui parciturum, nullis in delitijs uicturum, donec eum ex tormentis & cruciatibus hisce exolueret. Imò si uel scintillam ueri amoris habeat, nihil humani consilij intentatum relinquet, ut tam diris modis afflicto, subueniat.

Quo enim uultu quis patienter uidere queat fratrem tormentis et cruciatibus lancinari? Quis sinè summo anxioq; dolore aspiciat Patrem à quo uitam acceperit, aut amicum à quo uarijs beneficijs affectus sit, grauissimè miserrimeq; torqueri? Quæ mater non commoueatur, si filium quem utero suo gestauit, in medijs ardentissimarum flammarum incendijs ardere & torreri conspiciat? Non Saxeum sed Satanicum pectus habere eum oporteat, qui proximi & amici sui infelicitate tam parùm commoueatur. Compati & condolere non aduersatur scripturis: Christus ipse condoluit aliorum miserijs, Apostoli docuerunt, natura nobis hunc affectum inseuit.

Iam

Iam porrò auditores certum est, atque adeò certum ut nemo uerè Catholicus negare audeat, multos
1.Cor.3. eorũ qui hinc migrarunt, nunc in igne (uti loquitur Apostolus) detineri, ibidemq; horrendis & ineffabilibus tormentis, quibus omnes cruciatus et supplicia huius mundi minimè comparari possint, purgari & mundari, donec debitam expleant satisfactionem, ac diuinæ iustitiæ satisfaciant. Cur igitur non illis condoleamus? Cur non illorum misereamur? Vtiq;, dixerit quispiam, non condolendum duntaxat illis, uerumetiam omni ope & auxilio humano succurrendum. Charitas Christiana qua in hodiernum usq; diem non minùs quàm dum in hoc mundo uixerunt, nobis deuincti sunt, omninò illud exposcit.

Defuncti charitatis uinculo nobis deuincti sunt.

Etsi uerò tametsi uisibili & corporeo modo nobiscum hic non uersentur, altero tamen in seculo uiuunt, nec excluſi sunt à Communione sanctorũ, quam in fidei nostræ symbolo profitemur. Quæ Communio quùm in rebus merè spiritalibus consistat, & spiritalibus uinculis, cuiusmodi sunt, unus Deus, una fides, unum baptisma (ut loquitur Apostolus) connexa sit, nihil iuris aut imperij in eam habet mors, nec soluere eam, nec diuellere ualens, sed sinere eam in æternum cogitur inuiolatam, ut scilicet defuncti in Christo, posint ac debeant, non minùs quàm in cor-

Ephes.4. *Mortui in Christo à Communione sanctorũ non sunt excluſi.*

pore

pore adhuc existentes, huic Communioni accenseri, & etiamnum uelut membra mystici corporis Christi nobis adhærent: mors enim corporis, uti dictum est, hanc communionem non potest dissoluere, multò minùs disrumpere. Hac communione ut frui illa nos permittat oportet, tametsi corpore simus exuti. Quimimò si sanctorum communio, quam quotidiè in fidei nostræ symbolo profitemur, in hac duntaxat uita existere ac prodesse debeat, penè libentiùs quis fuerit in communione peccatorum & filiorum huius seculi, quàm in communione sanctorum, cùm maioribus in delitijs apud hos quam illos uiuatur, unde & D. Paulus ait: Si in hac uita tantùm in Christum speran- 1. Cor. 15.
tes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Absit uerò illud auditores, Communio quam cum omnibus electis & sanctis Dei per fidei & Baptismi unitatem habemus, quáq; cum illis connectimur per spiritum Dei, eadem communio mystica est, nec finem aut terminum aliquē habet, sed permanet etiam post corporis interitum, quemadmodum & uincula spiritualia sunt, & æterna quibus hæc communio connectitur & in perpetua coniunctione conseruatur. Consistit in una fide qua omnes uerum Deum agnoscimus, & Iesum Christum quem misit.

Communio sancto rum est spiritualis et æternæ

Consistit

Ioan.17. Sanctorũ communio in quibus constat.

Consistit in una fide, qua omnes nos hæredes unius spei, membra unius capitis Christi et omnes filij unius Patris & unius Dei efficimur. Consistit in uno spiritu Christi, quo uniuersi fideles in Baptismo consignantur, qui á Christo ueluti capite promanans, diffunditur in omnes illos qui mystica sunt Christi membra, habitatq; in omnibus Christianis, eosq; conglutinat uelut membra unius corporis, & connectit uinculo charitatis, ut omnes unius corporis membra appellentur & sint, quandoquidem omnes uno Christi spiritu aguntur & feruntur. Consistit itaq; sanctorum communio in eiusmodi rebus, in quas nihil iuris habet mors corporea, in quibus nihil mutare aut conuellere potest. Vnde etiam huic communioni accensentur omnes illi, qui fidem Christianam semel professi, baptismum susceperunt, & spiritu Dei consignati sunt, manentq; in hac mystica communione post corporis interitum, quo licet naturale corpus dissoluatur, mysticum tamen, quo membra Christi effecti sumus, dissolui non potest. Charitatem quæ nos cum tota fidelium uniuersitate conglutinat, extinguere non ualet. Spiritum Dei suffocare non potest, per quem in Christo uiuimus etiam corpore mortui.

Quis pertineat ad communionem sanctorũ.

Ioan. xi. Omnes ad unam eandemq; κοινωνίαν & societatem pertinemus, quotquot in Christum credidimus, &

per

per commemorata uincula mystica connexi permanemus, siue in corpore siue extrà corpus.

Quandò igitur permanet communio inter nos cæteros q; Christianos uniuersos, qui antè nos defuncti sunt, manemusq; perpetuò membra unius corporis Christi, utiq; indoles et proprietas huius communionis dictat, atq; adeò ipsa docet natura, ut membra mutuam inuicem sui curam gerant, alterumq; alterius necessitati condoleat, consulat et subueniat; docente Apostolo: si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. 1. Cor. 12.

Quapropter meritò hisce nostris (ut ità dicam) commembris mystici corporis et sanctorum communioni, fratribus et sororibus nostris opitulabimur et subueniemus (Vnum.n. habemus patrẽ in cœlis, et ab issdem primis parentibus Adamo et Eua originẽ ducimus) imò et fortassis sanguine aut necessitudine nobis coniunctis, qui fortè hoc in loco, in hac summa, extrema urgentissimaq; necessitate, in hisce tam horrendis tormentis & supplicijs detineantur: dummodò constare nobis queat ratio, qua iuuari possint. Matth. 23

Nos uerò summas Deo Opt. Max. gratias debemus, qui pro ineffabili sua bonitate hac in parte nos nõ dedituẽs, in sacris diuinisq; scripturis uias et modos indicauit, quibus nos quotquot in hoc seculo supstites existimus, defunctis in altero seculo queamus opitulari.

Deus in scripturis docuit quomodò mortuis subueniẽdum. 2. Mac. 12

Quis autem hic sit modus, quo defunctis succurrere possimus, uestra, auditores, humanitas hactenùs in aliquot Concionibus abundè audiuit. Atq; adeò uel soli Machabæorũ libri clarè istuc docent, dum aiunt. Sancta est & salubris cogitatio exorare pro defunctis, ut à peccatis soluantur. Quorundam animæ ratione peccatorum suorum post hanc uitam supplicijs exercentur, ab his ut exoluantur, uiuorum conducit oratio.

Oratio non omnibus defunctis prodest.

Non quòd cuilibet, pro quo instituitur, prosit oratio, nam ità quis uitam suam hic transegerit, ut irrita pro illo sit omnis oratio, & ab ipso animæ egressu ad inferos migrauerit. E diuerso qui in cœlis felix illud æuum transigunt, non egent, sed illi duntaxat, qui nec sanctè admodùm & piè hic uixerunt, nec prorsùs impiè, eo tamen in statu fuerunt, ut in charitate existentes, membra nostra permanserint, atq; idcircò uelut unius corporis membra, opem & consolationem à nobis expectant: Et è contrariò ubi pœnis iam liberati, æterna felicitate perfruentur, & nos fortè in Purgatorio detinebimur, eandem nobis aliquandò communicare possunt. Eiusmodi homines certum ex precibus nostris auxiliũ persentiunt. Porrò ne quispiam existimet me hæc confingere, aut persuasionem esse humanam aut commentum, D. Augustin

Augustini hac de re sententiam referemus.

Non negandũ est, inquit, defunctorum animas pie tate suorum uiuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatoris offertur, uel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm uiuerent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Hic.n. omne meritum comparatur, quo possit post hanc uitam releuari quispiam uel grauari. Nemo autem sperret, quod hic neglexit, cùm obierit, apud Deum promereri. Non igitur ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est. Omnes enim astabimus antè tribunal Christi, ut referat unusquisq; secundùm ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum, quia etiam hoc meritum sibi quisq; cùm in corpore uiueret comparauit, ut ei possent ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam uitæ, quam quisq; gessit in corpore? Cùm ergò sacrificia, siue altaris, siue quarumcumq; eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro ualdè bonis, gratiarum actiones sunt: pro ualdè malis, etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; sunt uiuorum consolationes. Aug. in Enchir. ad Laur. cap. 110. Item de cura pro mort. ca. 1. 4. et 18. 2. Cor. 5.

Ex his D. Augustini uerbis intelligitis auditores,

orationes pro defunctis non quibuſuis ſed mediocribus duntaxat, id eſt, qui quidem non ualdè boni, ſed nec admodum mali fuerunt, prodeſſe.

Orationes quæ in Miſſa fiunt præcipuè conferunt defunctis.

Porrò notandũ eſt, eas orationes potißimùm prodeſſe, quæ cum & ſub ipſo Miſſæ ſacrificio fiunt, quo Eccleſia Chriſtiana mater omnium fidelium Deo patri unigenitum filium Seruatorem noſtrum uelut uniuerſalem totius mundi Seruatorem in memoriam magni illius crucis ſacrificij, quod Chriſtus pro uniuerſo orbe Chriſtiano in ara crucis obtulit, repræſentat, orans Deum Opt. Max. ut propter Chriſtum Dominum Eccleſiæ ſuæ clemens ſit & miſericors, eidemq; paßionis & mortis Chriſti merita ad ſalutem & felicitatem ſuam prodeſſe ſinat.

Ratio, cur in Miſſæ orationib⁹ defunctorum fiat commemoratio.

Qua in oratione (quæ hunc in modum quotidiè in ſancto Miſſæ ſacrificio pro toto Chriſtianiſmo peragitur) fratrum neceſſariorumq; noſtrorum memoria meritò ſeruatur, roguturq; Deus, ut & ipſis Chriſti merita ad ſalutem & beatitudinem cedant. Nam & illorum curam habuit Seruator Chriſtus Ieſus in S. Crucis ligno, illos non minùs quàm nos ſuæ miſericordiæ uiſceribus complexus eſt, pro illis non minùs quàm pro nobis ſanguinem ſuum profudit. Nec minùs uoluit defunctos meritorum ſuorum participes & ſaluos fieri quàm nos.

Quandò

Quandò itaq; sacrosanctum eius corpus pretiosissimusq; sanguis, sub speciebus panis & uini latitans, uti alias abundè ex me auditum est, aliud nihil est, quam uniuersale quoddam sacrificium, quod pro uniuersa Ecclesia Christiana cunctisq; fidelibus Deo patri cœlesti offertur, iustum utiq; est ac legitimum, ut sacrificium hoc etiam pro defunctis offeratur, ut ita commemoratio cum ipsa Christi actione, et exemplar cum re gesta conueniat. Et quemadmodum Christus Dominus in crucis sacrificio omnium fideliū curam gessit, pro omnibus passus, & quantum in ipso fuit peccata eorum expiauit, Deoq; reconciliauit, sic & Ecclesia in hoc repræsentatiuo sacrificio nullum fidelium excludet, cum nõ minùs defuncti quàm nos, ad Ecclesiam Dei pertineant: non minùs quàm nos per charitatem corpori Christi conglutinati sint, non minùs quàm nos iuxta Dei uoluntatem redemptionis Christi Iesu participes esse desiderent. An uerò existimas passionis & mortis Christi meritũ ad ipsos non pertinere? non illud ampliùs ipsis prodesse putas, nec referendos ad Ecclesiã Dei? fides quæ mystico Christi corpori nos inserit, et Christi membra efficit, nunquid etiã defunctos ridẽ corpori inserit, et Christi efficit membra, qui in signo fidei excesserunt? Spiritus Christi nos inhabitans nunquid &

Missa est commemoratio & repræsentatio sacrificij crucis Christi.

Ephes. 4. 1. Cor. 10. Defuncti pertinēt ad Ecclesiam Dei.

defunctos inhabitat, cùm corporis mors Christum & spiritum eius in fidelibus nequeat extinguere & præfocare? Verumenimuerò Christi spiritus etiamnum in defunctis habitat, manentq; agglutinata corpori Christi membra, et pertinent ad Ecclesiam Dei non minus quàm dum in terris adhuc degerent. Atq; adeò hanc ipsam ob causam sancti Martyres uitæ huius temporariæ iacturam optauerunt, ut Christus in ipsis uiueret, quandoquidem fideles etiam post corporis mortem in Christo uiuunt, eiusq; membra permanent.

Ioan. 11.

Vna est fides, unus spiritus, una communio in Christo, cur igitur non huius quoq; mystici sacrificij fuerit communio? Animæ illorum qui in Christo defuncti sunt, non sunt ab Ecclesia Christi segregatæ, cur igitur in communione corporis et sanguinis Christi pro ipsis non sit orandum? Cur non & pro ipsis offerendum sit corpus & sanguis Christi, cùm utiq; sint membra Christi? Quinimò protegente Deo, per artes & uersutias Diaboli nunquam eo sustinebimus adduci ut ipsos ab hisce nostris communibus precibus excludamus.

Ipsa charitas qua cum defunctis in Christo inuicem deuincti sumus, non permittit, ut Christum communem redemptorem & Seruatorem nostrum Deo repræ-

repræsentantes, & pro omnibus necessitatibus mystici corporis Christi deprecantes, defunctorum fratrum & membrorum nostrorum obliuiscamur, & precibus nostris excludamus. Ac licet nos eo perfidiæ deueniremus, ut eorum obliuisceremur, natura tamen et proprietas huius sacrificij corporis et sanguinis Christi non admiserit, ut quenquam excludamus, qui membrum Christi existens, fide nobis conglutinatus sit. Cæterùm uti Christus pro uniuersis fidelibus corpus & sanguinem suum obtulit in cruce, non pro ijs duntaxat qui tunc uiuebant & in eum credebant, uerumetiam pro Abel, Abraham, Isaac, et pro omnibus qui in ipsum crediderunt, diuq; antè uixerunt: sic & nos hanc passionis suæ memoriam omnibus fidelibus prodesse existimabimus, siue in corpore, siue extrà constitutis.

Quocircà siquandò posterum quispiam arcta nobis necessitudine deinctus è uiuis excedat, quoniam certò indubitatoq; non scimus quo in statu sit constitutus, orabimus pro ipso, & ex prisco ac laudabili more uigiliarum sacrificiorumq; iusta illi persoluemus, firmiter sperantes, Deum Opt. Max. ipsi defuncto pœnam, qua ob commissa peccata fortasse diutiùs exercendus erat, per meritum passionis & mortis unigeniti filij sui Christi Iesu, Seruatoris nostri,

stri, cuius commemoratio fiat in Missæ sacrificio, clementer & paternè remissurum, & sanctis Dei in gaudio & felicitate æterna aggregaturum. Amen.

Sequemur hic doctrinam sacræ scripturæ dicentis, sanctam & salubrem esse cogitationem exorare pro defunctis, ut à peccatis soluantur. 2. Mac. 12

Imitabimur exemplum D. Ambrosij, qui tam religiosè pro defunctis Imperatoribus Gratiano & Valentiniano orauit, ut de seipso scribat nullũ diem præteriturum, quo suis in precibus ipsorum nolit meminisse. Exemplum præterea D. Augustini qui fideliter quoque pro defuncta matre Monica orauit. Exemplum Cypriani, Celerniæ et quorundam aliorum. D. Hieronymi qui Paulæ defunctæ in precibus suis diligenter meminit. Ambr. in orat. fun. Val. Imp. Aug. li. 9. Conf. c. 11 13. & ult. Cyp. li. 4 epist. 5.

In summa, sequemur hic doctrinam, consuetudinem & decretum nostræ omniumq; fidelium matris Ecclesiæ Christianæ, nec ullo pacto ab hoc pro defunctis orandi more nos patiemur abduci. Enimuerò scimus eam nihil perperam docere, nec in fidei negotio errare posse, atq; adeò columnam esse & fundamentum ueritatis, uti eam nuncupat Apostolus, & iuxtà Christi sponsi sui promissionem manere perpetuò penes eam spiritum sanctum, qui ducit ac regit eam ne in errorem prolabatur, eoq; & hunc pro de- Ecclesia Catholica docet orandum pro defunctis. 1. Tim. 3. Ioan. 14.

pro defunctis orandi morem proculdubio non suopte ingenio commenta est, sed ab ipso Christo Domino, aut sanè à discipulis & Apostolis eius didicit.

Tametsi quid multis opus est? Equidem diserte aperteq; pronuncio, et si res postulet, demonstrauero, ipsos Apostolos docuisse, orandum pro defunctis. Vnde istuc habeam rogas? Pro huius Concionis coronide ea luce illud declarabimus, ut uel herbam nobis porrigas, aut duos præstantissimos Doctores patresq; sanctissimos Damascenum & Chrysostomum qui ultrà annos mille floruerunt, mendacij insimules. Apostoli docuerũt orandum pro defunctis.

Tu igitur sanctissime Chrysostome, quandoquidem ipse pro defunctis orasti, & sæpenumerò in Concionibus auditores tuos idem docuisti, prior nobis edissere, Quis istuc te docuit? Vnde hæc consuetudo primùm inoleuit? Quis decreuit & instituit pro defunctis orandum? Respondet incomparabilis Doctor. Non frustrà AB APOSTOLIS SANCITVM EST, ut in celebratione uenerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Nouerunt illis multùm hinc emolumenti fieri, multùm utilitatis. Stante siquidem uniuerso populo, manus Chryſ. in cap. 1. ad Phil. homil. 3.

in cœlos extendente, Cœtu item Sacerdotali, uerendoq; posito sacrificio, quomodò Deum non placaremus pro ISTIS ORANTES?

Ecce auditores, refert sanctissimus Doctor, Apostolos sanciuisse, defunctorum habendam memoriam & pro ipsis orandum. Quis nunc tam excors sit & uesanus, ut tantum uirum arguat mendacij? Ego quidem ille non sum, atq; adeò uerè Christianorum nullus, sed tantò maiorem in huiusmodi negotijs fidem ei præ cæteris uitilitigatoribus præstat, quanto fuit Apostolico seculo uicinior.

Verumenimuerò ut maiorem ipsius testimonium
Damasc. persuadendi uim obtineat, Damascenum quoq; audiemus his uerbis loquentem. Sancti APOSTOLI DISCIPVLI SALVATORIS &c. memoriam eorum qui in fide obdormiunt sanciuerunt, Quod etiam firmiter admodum citraq; contradictionem à terminis terrarum ad terminos usq;, indeq; ab initio ad hoc tempus præsens & usq; ad finem mundi obseruat, obseruabitq; Apostolica & Catholica Ecclesia. Non inaniter hoc aut frustrà neq; absq; certis rationibus quasi fortuitò SANCIVERVNT APOSTOLI. Etenim quæ Christiana Religio erroris nescia suscipit, perpetuoq; seruat inconcussa atq; integra, hæc uana esse non possunt, uerùm sunt omnia

omnia utilia, sunt Deo grata opemq; ferunt & conducunt saluti nostræ plurimum.

Equidem existimo auditores sanctissimum Doctorem perspicuè satis indicasse originem consuetudinis orandi pro defunctis, nimirum ipsos Apostolos illud sanciuisse, ac deinde uniuersam Ecclesiam Catholicam, uti ab ipsis accepit ac didicit continenter obseruasse.

Quandò igitur non nuper nata est hæc consuetudo, sed ab ipso Christianæ Religionis exordio ubiq; seruata: Quandò non à Pontificibus alijsúe hominibus qui contemioso cuipiam suspecti esse possint: sed ab ipsis Apostolis, qui sinè omni controuersia ab ipso Christo præceptore suo, quicum assiduè uersati sunt, ac de hoc alijsq; religionis nostræ articulis quotidiè loquentem audiuerunt, profecta est, non sustinebimus hunc ritũ aboleri, & cum sanctis Apostolis, & matre nostra Ecclesia Catholica pro animabus defunctorum sedulò deprecabimur, ut & nos re postulante desiderauerimus posteros nostros pro nobis intercedere, ut ita tandem omnes iuxtà D. Iacobi Apostoli uerba, saluemur. Amen. Iac. 5.

CONCIO SEXTA funebris.

CVR ASSIDVE PRO DEfunctis oretur, Primus, Septimus, Triceſimus, Anniuerſarius dies celebretur, & quid myſterij habeat.

EX prioribus Concionibus noſtris, diuinis ſcripturis ueroq; & conſono earum intellectu fultis, eo nunc, auditores, opitulante gratia diuina prouecti eſtis, ut intelligatis non ſolum non illicitum, ſed Chriſtianæ, ſyncerę et Euangelicæ doctrinæ fraternæq; charitati prorſus conſentaneum eſſe, ut pro fratribus defunctis Deum deprecemur.

Nec ambigo quoſdam ex uobis qui fortè hactenus

gùs de suffragijs defunctorum ex defectu melioris doctrinæ, dubitauerint, nunc porrò nihil hæsituros, sed eadem quoq; ex more Ecclesiæ Catholicæ quouis tempore promptè et libenter idoneæ religione præstituros: alios uerò qui hactenùs nihil ijsdem tribuerint, paulatim nunc desituros hunc ritum proterue reijcere aut cõtemnere, quandoquidem in sacris diuinisq; scripturis in ueteri & nouo Testamento, in Prophetícis & Apostolicis literis usq; adeò fundatus est, quandò etiam clarißimè non ex Pauli duntaxat, sed ex ipsius Christi quoq; uerbis demonstrari potest: præcipuè uerò quandò nec Lutherus planè contempsit, sed monuit semel, iterùm ac tertiò pro defunctis orare licere.

Mich.7. Psal. 48. 106. 2.Mac.12 Ioan.14. Matth.5. 12. Phil.2. 1.Cor.3. Luth.in assert.ar. 37. Item in disput. lipſ. Item in resolu. prop. 19. Item in ult.confes. Ioan.17. Ioan.12.

Tametsi enim in scripturis nusq̃ expreßè mandaretur, impoßibile tamen esse non immeritò quis dixerit, Deo Opt.Max. pium hunc affectum displicere, quo pro defuncto amico solliciti, ex tormentis & supplicijs, quibus fortè crucietur, pro uirili eum conemur uindicare. Ad ἅπαξ penè fuerit ut Deus huiusmodi nobis in culpa positurus sit, cùm Christus Dominus nihil tam seriò nobis in hoc mundo commendauerit, & cùm hinc migraturus esset, nihil diligentiùs præceperit, quàm ut inuicem diligamus.

Iam

Iam porrò istuc certissimum est argumentum ueri flagrantisq; amoris, quandò quis illum etiam diligit, pro illo sollicitus est, illum iuuare desiderat, qui absens sit, tantoq; absit interuallo, quanto nullus mortalium ab altero abesse potest, cùm tritum apud Germanos consueuerit esse prouerbium, procul ex oculis, procul ex animo. Certè Christus Dominus iubet nos pro quibuslibet incommodis auertendis orare, donec per gratiam & præsidium Dei gaudium nostrum sit plenum tollaturq; à nobis quicquid graue
Ioan. 14. est & molestum. Petite, inquit, & accipietis ut gaudium uestrum sit plenum.

Quis iam nostrum est qui non sollicitus sit, quomodò cum cognatis suis qui hinc migrarunt agatur? Sanè si quis nulla illorum cura tangatur, ne scintillam quidem Christianæ charitatis habuerit. Nisi quis Paulum falsò dixisse existimet, cùm inquit, Si quis suorum & maximè domesticorum curam non
1. Tim. 5. habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Si igitur iuxtà Christi mandatum, pro omnibus illis auertandis orandum est, quæ molestiam & curam nobis adferunt, neutiquam sanè Christus Dominus improbauerit, si pro cognatorum necessitatibus ipsum hunc uel similem in modum deprecemur, Omnipotens misericordissime Deus, si is est cognatorum nostrorum status,

ut pœnis

ut pœnis illos exerceas, ità tamen ut gratiam et misericordiam tuam non in perpetuum subtraxeris, rogamus te per misericordiam tuam, ut clementia et bonitate tua diuina eos pœnis exoneratos, in gaudium tuum cum cæteris electis admittas.

Sed dicat quispiam assiduas illas et propemodum infinitas pro defunctis orationes, sacrificia, legata, seu (ut uocant) fundationes, Primi, Septimi, Tricesimi Anniuersarij celebrationes, neutiquam perspicio quo iure aut fundamento subsistant. Quimimò speciem habere uidetur animi de diuina misericordia diffidentis, cùm Christus Dominus quibusdam in locis tam grauiter mandet Apostolis suis, ut orantes, niuersa quod petiuerint sese impetraturos. Hic autem eiusmodi fiducia esse non potest, ubi tam assiduè & indesinenter oratur, euolutoq; anni circulo redintegratur oratio. Si crederemus priorem orationem exauditam, pluribus opus non foret, atq; ità instituta pro defunctis sacrificia & anniuersaria, fuerint irrita & superuacanea.

Cæterùm clementissimus Deus pro ineffabili suæ benignitate clementer & paternè nos conseruet, ne tam enormem blasphemiam, uel cogitemus, ne dicam, proferamus. Neutiquam profectò anniuersariorum sacrifi-

Cur Primus, Septimus, Tricesimus, Anniuersarius dies celebretur.

Matth. 21

ſacrificiorumq; inſtitutio (quæ tot ſeculis in omnibus locis apud fideles perpetuò religioſè ſeruata ſunt) eſt inutilis aut ſuperuacua. Optimi pientiſſimiq; Maiores noſtri, piæ recordationis, qui potiſſimam uitæ partem ad diuinæ uoluntatis præſcriptum inſtituerunt, & in omnibus actionibus ſuis nil niſi gloriam Dei & proximi ſalutem ſpectarunt, eademq; in ſacrificijs anniuerſarijſq; inſtituendis ſibi propoſita habuerunt, nunq̃ tam ſimplices, ſtolidi & fidei Chriſtianæ uſq; adeò rudes fuerunt, ut tanto cum ſumptu tam uaria cultus diuini officia paſſim inſtituiſſent, niſi perſpexiſſent eadem Euangelio & ſynceræ Chriſtianæq; doctrinæ conformia, et ad gloriam Dei proximiq; utilitatem conferre.

Nam quòd ais habere ſpeciem diffidentiæ crebras illas & repetitas orationes, abſurdum eſt, & nulla penè reſponſione dignum. Vtiq; ſcimus, nec inficiari poſſumus, aut uolumus, cum Chriſtus Dominus & Seruator, & ipſiſſima ueritas præcipiat ac uelit nos indubitata fiducia orare. Sed & præterea
Matt. 21. Luc. 18. nouimus nec inficiari poteris, eundem Chriſtum ſimiliter præcepiſſe, ſine intermiſſione orandum.

Nouimus quoq; nec admittit negationem, D. Paulum Apoſtolum pro neceſſitate quadam auertenda
2. Cor. 12. ter Dominum rogaſſe.

Itidem

Itidem nouimus nec obluctari potes, Prophetam expreßis uerbis ſcribere, ſi moram fecerit (Dominum) exſpecta illum.

Nouimus, norunt́q; omnes piè Chriſtum profitentes ex uerbis Iudith, non eſſe hominis ponere tempus miſerationis Domini, et in arbitrium ſuum diem ei conſtituere, quod́q; Deus ſæpenumerò orantes ſuſpenſos teneat, ipſoruḿq; commodo nõ protinùs eos exaudiat, ut atteſtatur Regius Propheta. Iud.8.

Neutiquam igitur eam habet ſententiam, quum iubet Chriſtus Dominus nos credentes petere et cum fiducia orare, quaſi una quæpiam res pluribus orationibus petenda non ſit. Quid enim hinc aliud conſectaneum foret, quam in quauis neceßitate, ſemel duntaxat Deum inuocandum, quod neutiquam dicendum eſt, utpote omnibus ſcripturis contrarium.

Quamobrem inſtituta apud nos ſacrificia Primi, Septimi, Triceſimi, Anniuerſarij, & Vigliæ ſuo de gradu à talibus obturbatoribus nõ deijcientur, prout nõ temerè ab hoc uel illo, ſed ab Eccleſia Chriſtiana, quæ ſpiritu ſancto regitur, inſtituta ſunt, uti nunc deinceps breuiter audiemus.

Cur primus exequiarum dies celebratur.

Et principio quidem primus exequiarum dies celebratur uocatuŕq; dies depoſitionis. Quemadmodũ enim quis rem quampiam penes aliquem deponens, certò dies celebretur.

certò arbitratur, oportuno tempore eam receptu-
rum: eodem planè modo ille qui iam ex humanis mi-
grauit, cuiusq; primæ exequiæ peraguntur, corpus
suum nunc deposuit, idemq; sepulcro fideliter asser-
1. Thes. 4 uatur, donec ueniens Archangelus, in uoce tubæ om-
nes mortuos resuscitet. Tunc etiam certò hic defun-
ctus depositum suum, id est, corpus, resumet, & re-
surgens in eodem æternis gaudijs & beatitudine
perfruetur. Atq; hic iam primus est Dies, qui ex
enarratis causis, dies Depositionis nuncupatur.

Hoc igitur die merito iusta persoluuntur defun-
ctis. Nam si animæ demortuorum quandoq; ob ad-
missa peccata post hanc uitam in pœnis detineantur,
nostrisq; precibus subsidij quippiam illis præstari
queat, utiq; iustum est, atq; adeò charitas Christiana
expostulat, ut quam ocyßimè sinè omni remora ipso-
rum tormentis & supplicijs succurramus, & quan-
tum in nobis est, ijsdem exoneremus. Atq; hinc iam
prouenit, auditores, ut primum diem defunctis so-
lennem habeamus, quòd Ecclesia Christiana arbi-
tretur postpositis omnibus citrà dilationem prò ani-
ma defuncti orandum, ut nostris fretus suffragijs, ma-
turiùs ex pœnis si quas persentiat, emancipetur.

Primus depositionis dies

Verumenimuerò primi diei iustis, non defuncto
tantùm succurritur, sed nos quoq; quotquot adhuc
superstites

superstites existimus, utilitatem aliquam inde perapimus. Quod ut clariùs intelligatur, huiusmodi meditatione nos occupabimus in exequijs defunctorum, potißimùm uerò in primo depositionis die. defunctis & uiuis conducit.

Miseram esse mortalium in hoc mundi ergastulo conditionem, & quicquid humanum est, uanum & caducum esse. Cuius nunc ex more Christiano peragimus inferias, non à multo tempore incolumis erat & robustus, omnes nos ætate & uiuacitate superaturum se existimans. Nunc iacet exanimis nec prodest ei robur, forma, ars, prudentia facultates et census, ædificiorum splendor, opes ac diuitiæ, & quicquid charum preciosumúe habuit in hoc seculo. Omnibus hisce destitutus, ipsum se uermibus consumendum dare cogitur. Quam prócliue autem fuerit, ut idem tibi uel mihi & cuilibet nostrum usu ueniat? Cui nunc iusta peragimus, non minùs hanc fati necessitatem ad hunc diem expectauit, quam aliquis nostrum. Non minus ad mortis memoriam commotus est, quàm uel tu uel ego. Nihilosecius fatali necessitati succubuit. Quid in exequijs meditandum.

Si quispiam huiusmodi meditationibus sese in funere exerceat, auditores, an putatis uanas eas fore & infructuosas? Oecæcatum eum et præfractum esse oporteat, quiq; animam cum corpore interire exi-

ſtimet: pius enim & uerè Chriſtianus nihil penè ſalubrius ac melius agere poteſt, quam ut ſedulo & ſubinde nouiſſimorum ſuorum recordetur, mortisq; meminerit, quam euitare non poteſt.

Quæris quid utilitatis præſtet, ſi quis perdius et pernox de ſola morte meditetur, atq; ita ſe in mœrorem ac Melancholiam conijciat? diſertis uerbis iſtud explicabo.

Quid utilitatis habeat meditatio mortis.

Principiò eam adfert frequens mortis meditatio utilitatem, ut per huiuſmodi conſiderationem, mortem diſcamus formidare, commoueamurq; & exhorreamus, conſiderantes breui fortaſſis adfore horam, qua nobis hinc migrandum ſit, prout Dauid de ſeipſo loquitur, formido mortis cecidit ſuper me: Timor & tremor uenerunt ſuper me. Quantauis enim quis iuſticia polleat tamen imminente animæ & corporis diſſolutione, expaueſcit & formidat illum iudicem cui nunc certò iſtendus eſt, qui etiam occulta reuelat. Hoc pauore commotus eſt pientiſſimus patientiſſimusq; Iob, dum ait: Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parceres delinquenti. Porrò huiuſmodi timor homini in hac uita plurimum conducit, ut ab illo quod metuit ſollicitè ac diligenter caueat. Alioqui ipſe quidem timor per ſe parum profuerit, niſi & uiam ac modum inueſtigemus, quo illud

Pſal. 54.

Iob. 9.

Memorare nouiſſima tua et in æternum non peccabis.

quod

quod metuimus, euadamus, teste sapiente: Sapiens, Prou. 4.
inquit, timet & declinat à malo.

Quandò igitur quis mortem formidat, idq; hac de causa, quòd sciat per eam ad diuinæ maiestatis solium procedi, iam tum ille, modò animæ curam illam habet, secum expendit, si ità comparatum sit, ut uel hodiè uel crastinò cum minimè expectet, ducendus sit ad iudicium diuinæ maiestatis, uigilandum esse, omnemq; mouendum lapidem, ut in eodem subsistere possit, nec ob uitam sinè pœnitentia transactam, æternæ morti adiudicetur.

Exemplo est Achab Rex Israel, cui cùm Helias 3. Reg. 21.
Propheta mortem minaretur, extemplò toto affectu ad Dominum conuersus, scidit uestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq; & dormiuit in sacco, ambulauitq; demisso capite, atq; in summa, uera peccatorum suorum pœnitudine ductus est.

Itidem fecit Rex magnæ illius ciuitatis Niniue, Ion. 3.
cui cum Ionas mortem minatus esset, simulq; annuntiasset, post quadraginta dies Niniuen subuertendam, non ipse tantùm surrexit de solio, & abiecit uestimentum suum & indutus est sacco &

ſedit in cinere, ueramq; pœnitentiam egit: uerum etiam præcepit, ut homines uniuerſi iuuenes & ſenes, imò iumenta quoq; & pecora certis diebus non guſtarent quicquam nec paſcerentur. Effecit hoc ſola mortis formido quam annunciauerat Ionas. Atq; ut rem in pauca contraham, nihil æquè hominem ad pœnitentiam commouet, nulla alia re facilius à peccatis conuertitur, quam mortis meditatione.

Climach9 Non hic permittendam arbitror hiſtoriam, quam Climachus olim de anachoreta quodam conſcripſit. Ait hunc in deſerto quodam montis Oreb ab omnibus hominibus ſeparatum habitaſſe, ibidemq; ſinè omni labore in ocio uitam degiſſe. Mirè autem et fortaſsis Deo ità diſponente contigiſſe, ut in grauem infirmitatem inciderit, & ut ſubinde uſu uenit, horæ ſpacio mente exceſſerit, Quo in exceſſu quid uiderit, eidemúe euenerit, equidem ignoro. Illud autem de ipſo refert Climachus, cùm primùm ad ſe reuerſus eſt, rogaſſe aſtantes, ut ſecederent: quo facto, incluſiſſe ſe caſæ ſeu tugurio ſuo, atq; inibi duodecim annis ſolitariè pane & aqua uictitaſſe, oraſſe & luxiſſe, donec obitus die iam imminente, ui in cellulam irrumperent, orantes amicè ut uel minimo alloquio ipſos loco mnemoſyni dignaretur, Reſpondiſſeq; eum. Indulgete mihi, nemo memoriam mortis habens, poterit peccare.

Eccè

Ecce auditores, dubium non est Anachoretam illud Deo reuelante dixisse: eademq; de causa Ecclesia Catholica primum diem defunctis solennem instituit, non solùm ut astantium precibus defuncti animæ pœnarum mitigationẽ senciat, uerumetiam ut quilibet Christianus qui hisce funebribus iustis interfuerit, considerans uel hodiè uel crastino, et quandò minimè putabit idem sibi usu uenire posse, à peccatis resipiscat, et per ueram pœnitentiam ad Dominum conuertatur, ne damnetur. Atq; hæc de primo depositionis die.

Nunc breuiter de Septimo nonnihil dicendum, nihil ambigens plerosq; mirari, cur in Ecclesia Septimus sit defunctis solennis, non autẽ tertius, quartus, quintus, sextus, octauus. Atq; istud hominum genus eiusdem est farinæ cuius ille, quem legimus principem illum Græcorum poëtarum interrogasse, cur suam Iliada à uocabulo μῆνιν, & non ab alio auspicatus esset, cui respondit poëta, si aliud quodpiã sumpsisset, interrogandũ se fore, cur illud prætulisset: quã interrogationem ut elideret, hanc uocẽ sibi placuisse. Cur septimus dies celebretur.

Eiusmodi responsum illis quoq; dari posset, quibus nihil rectè statutum uidetur: quocunq; modo rem instituas, illis nõ probatur. Quandò septimo die defunctorũ habetur cõmemoratio, quærũt, cur nõ fiat octauo, et

uo, & si fiat octauo, cur non nono, decimo aut alio die.

Quid hoc autem? Si eum in modum ridiculè & contumelioſè de omnibus dicendum ſit, nullus penè fuerit ſanctiſſimæ fidei noſtræ Chriſtianæ ritus, nulla tam laudabilis, priſca & pia Cæremonia, quam non hac ratione ridere queamus & eludere.

Abſit uerò illud. Credimus enim ut in cæteris ità & hic omnium fidelium matri Eccleſiæ Catholicæ, nec ambigimus quicquid illa uel quomodocunq; ſenſerit, illud ex ſpiritu ſancto prouenire, quem à chariſſimo ſponſo ſuo Chriſto Domino Ducem & Magiſtrum accepit, ne in his alijsq; id genus in errorem aliquem labatur, tametſi non ſemper intelligamus quamobrem, aut quibus ex cauſis ità faciat aut decernat.

Porrò quod ad ſeptimi, de quo in præſentiarum tractamus, commemorationem attinet, exactè nouimus quibus de cauſis ille præ alijs, defunctorum commemorationi conſecratus ſit. Quas ſi cognoſcere deſideratis, breuiſſimè indicabimus.

Ipſa diuinarum ſcripturarum oracula commouerunt Eccleſiam, ut ſeptimum diem ad iuſta defunctis exequenda deputauerit: ait enim ſcriptura,
Eccl. 22. Luctus mortui ſeptem diebus. Vnde iam liquidò conſtat,

ſtat, auditores, Eccleſiam Catholicam non temerè et ſinè ratione, uti quis fortè ſibi perſuadeat, ritus ac decreta ſua ſanxiſſe. Sed quicquid unquam inſtituit, eius habet firmas ſolidasq; ex ſcripturis rationes, aut alias iuſtas idoneasq; cauſas. Elegit præ aliis diebus ſeptimum, ut defunctis ſit ſolennis, Quamobrē? quia expreſsè ſcriptum eſt in literis diuinis: luctus mortui ſeptem diebus.

Habemus præterea exempla diuinarum ſcripturarum, quomodò populus Dei in ueteri Teſtamento in ſeptimum uſq; diem mortuos fleuerit, & ex more planxerit. In primo Pentateuchi libro legimus duodecim filios Iacob, defuncto Patre, in terram Chanaan ultrà Iordanem profectos, ibidemq; planctu magno impleuiſſe ſeptem dies.

Populus Dei in ueteri Teſtamento in ſeptimum diē luxit defunctos. Gen. 50.

Equidem exiſtimo quemlibet nunc intelligere, Chriſtianam Eccleſiam non ſinè ſcripturæ fundamento, eoq; rectè ac legitimè ſeptimum diem iuſtis & exequijs defunctorū deſtinaſſe. Qui proinde non ob id ſolùm quia ſcripturæ exemplo nititur, ſed hac quoq; de cauſa cæteris diebus hiſce exequijs aptior eſt, quòd quemadmodū ſeptimus dies eſt Sabbati, quo ab omnibus totius hebdomadis laboribus quieſcendū eſt, ſic eam in ſpem & fiduciam erigimur, benigniſ-

ſimum clementiſſimumq; Deum defuncto huic cuius ſeptimus depoſitionis dies nunc peragitur, tot Chriſtianarum orationum ergò, & ob paſsionem & mortem filij ſui cuius commemoratio fit in Miſſæ ſacrificio, nunc poſt ærumnoſam hanc laborioſamq; uitam, Sabbatũ (quod alioqui ſeptimo quoq; die recolitur) æternæ quietis tantò citiùs libẽtiusq; largiturũ. Atq; hæc de Septimo, nũc de Triceſimo pauca pferemus.

Cur triceſimo die defuncto rum commemoratio peragatur.

Solet inſuper Eccleſia Catholica Triceſimo die defunctorum commemorationem peragere, idq; nec temerè aut ſinè cauſa inſtituit, ſed pari modo diuinarum ſcripturarum fundamento nititur. Siquidem in Deuteronomio legimus populum Iſraëliticum defunctum Moſen trigima diebus planxiſſe, et tunc demùm completos eſſe dies planctus lugentium Moſen. *Deut. 34.*

Sed nec illud fruſtrà ac temerè factum eſt, ut nec ultrà nec citrà diem triceſimum luxerint, uti nec ſinè ratione Eccleſia Catholica hunc triceſimi defunctis celebrandi morem imitatur. Nam ut apud ueterem quendam ſcriptorem inueni, arcanum ſecretumq; habet myſterium. Ter decem triginta conſtituunt. Per numerum ternarium intelligenda eſt ſanctiſſima & indiuidua Trinitas, per denarium, decem præcepta, quæ ad uitæ normã et amuſsim hominì à Deo præſcripta ſunt, ab illo uerò cuius triceſimus

Myſtica explicatio triceſimi.

nunc

nunc peragatur ſæpenumerò uiolata ſint, eoq; triceſimum diem defuncto ſolennem conſtitutum, ut quisquis biſce interſit exequijs, hæc & ſimilia conſideret, tacitaq; mente precetur ſummam, ſanctiſſimam indiuiduamq; Trinitatem, ut animæ defuncti huius propitia, tot Chriſtianarum precum ergò pœnam aſſidua, decem præceptorum præuaricatione commeritam, & porrò adhuc ipſi ſuſtinendam, per paſſionis & mortis Ieſu Chriſti meritum clementer & paternè relaxet. Eccè ſi quiſpiam hac meditatione ſe occupet in Triceſimo, horumq; admoneatur, haud ſanè perperam fecerit. Nunc ſuperest ut de Anniuerſarijs pauca dicamus, id est, de ea defunctorum commemoratione, quæ per annos ſingulos fieri conſueuit.

Sciendum autem est Anniuerſariorum uſum eſſe Cur anni uetuſtiſſimum, adeò ut antè mille trecentos quinqua uerſarius gginta annos Anniuerſarij dies in Eccleſia Chriſtiana defuncto- ſolennes fuerint, uti ſcribit Tertullianus, ne fortè rum dies quiſquam opinetur eos maiorum noſtrorum ætate ſit ſolen- per auaritiam Monachorum & Sacerdotum confi- nis. ctos. Et quidem hiſce de cauſis anniuerſarij dies tot Tertull. iam ſeculis celebrati ſunt, atq; etiamnum celebran- de Chriſtur. Primum quia nos in hoc ſeculo conſtituti non ſtiano mi- exactè certoq; ſcimus, ut ſcribit Auguſtinus, quo in lite-

13.q.4. Nõ existimamus.

statu sint defuncti, eoq; satius est nos nimis quàm minus orare, ne magno suo malo defuncti pœnas luere cogantur. Tametsi enim illi pro quibus annuè et quotidiè oramus, gaudium & felicitatem æternam nunc adepti sint, nostræ tamen preces superuacaneæ non sunt, sed ut inquit D. Augustinus, sunt gratiarũ actiones. Si uero defunctus ob grauia multifariaq; crimina, et uitam sinè pœnitentia transactam, iam nunc in gehennæ barathrum præcipitatus sit, ubi nulla succurrunt precum adminicula, nec hoc quidẽ casu planè irritæ sunt orationes nostræ, sed qualescunq; sunt uiuorum consolationes. Illis autem prosunt qui nec ualdè boni nec ualdè mali, in mediocri quodam statu hinc migrarunt, his ait proces nostras esse Releuationes. Quia uerò incerti sumus quomodò cum ipsis agatur, pro omnibus indistinctè oramus.

August. in Enchi. ad Laurent. cap. 110. Itẽ de cura pro mortuis gerenda, cap. 1. 4. & 8.

Altera anniuersariorum causa est, ut quemadmodum annus continuo aßiduoq; motu in orbem reuertitur, perpetuoq; durat eundemq; in modũ semper recurrit, ità in anniuersarijs Deum Opt. Max. rogemus ut defunctorum animabus clementer subueniat, quò in cœleste regnum perueniant, quod sinè termino summa in lætitia & felicitate durat in æterna secula.

Tertia causa est, quòd ex diuinis literis compertum

tum habeamus, uniuersam Hierusalem populumq; Iudaicum cum Hieremia repetiuisse planctum defuncti Regis Iudæ.

His alijsq; de causis Ecclesia Catholica mortuorũ suorũ anniuersarios, tricesimos, septimos et primos dies perpetuo religiosè peregit, sedulo serioq; Deũ implorans, ut eorũ quorum peraguntur exequiæ, misertus, peccata ignoscat, et in gaudiũ ac felicitatem æternam clementer suscipiat. Huiusq; sui facti ex literis sacris iustas ut auditum est, rationes habet.

Quandò igitur defunctorum suffragia eum in modum diuinarum scripturarum fundamento nituntur: quando in Propheticis & Apostolicis literis de ijsdem legimus: in ueteri et nouo Testamento docemur: quandò populus Dei antè & post Christum natum hunc morem obseruauit: quandoquidem sanctißimi pientißimiq; patres utriusq; tam Græcanicæ quàm Latinæ Ecclesiæ Doctores pro defunctis orandum consono ore docuerunt: neutiq; profectò admittemus, hostem nostræ salutis Diabolum hunc pro defunctis orandi ritum nobis excutere. Imò quantò enixiùs ille in hoc cõtenderit, tantò maiori studio et feruore in eo asserendo occupabimur, et ad exemplũ Iudæ Machabæi, iuxta doctrinã tam illustriũ sanctorumq; Patrũ, & consuetudinem nostræ & omniũ fidelium matris

Ecclesiæ

Ecclesiæ Christianæ pro defunctis nostris sedulò & fideliter orabimus, eorumq; primum, septimum, trigesimum & anniuersarium diem celebrabimus, ut
Ioan.17. *nostram ergà illos charitatem, quam Christus tantoperè à nobis exigit, non uerbis duntaxat, sed factis quoq; declaremus: illi uerò ex tormentis & supplicijs, quæ diutiùs fortassè subituri forent, liberentur. Quisquis igitur toto illud pectore desiderat, sequentem orationem mecum pronunciet.*

ORATIO PRO DEFVNCTIS.

OMnipotens sempiterne Deus, cui propriũ est misereri & parcere, memento quæsumus omnium fidelium, qui piè & Christianè ex hac lacrymarum ualle migrarunt. Præcipuè animarum, quarũ exequias hodiè Christiano ex more peragimus, earũq; pro ineffabili bonitate & misericordia tua miserearis. Et si fortè nobis incognitis supplicijs à te castigentur, clementer et paternè ijsdẽ exoneres, & nõ eorũ culpam, sed tuam bonitatem,

bonitatem, nō illorū peccata, ſed tuā promiſsionē reſpicias. Nō intres dñe cum illis in iudiciū, non ad ſiniſtrā illos deinde colloces, non ad ęternum ignē illos damnari permittas, ſed cū corpore in reſurrectionē uitæ reſurgere, et inter oues ad dextrā collocari in nouiſsimo die. Ne ſacratiſsimā paſsionem et mortē unigeniti filij tui in ipſis perditā eſſe patiaris, ſed ęternā illis ſalutē largire, quā hic ſperauerūt, dona cœleſtē lętitiam, quā uenturam crediderunt, ut ex tenebris in lucē, ex timore in ſecuritatē, ex tormentis in refrigerium, ex pœnis & ſupplicijs in ſempiternā requiē collocentur, ubi te ſanctiſsimā Trinitatem cum omnib. electis ſinè fine cōtemplentur & prędicent. Per acerbiſsimam paſsionem et mortem Domini et ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, Amen. DB

DE SANCTIS INVOcandis, & de igne purgatorio contrà hæreticos huius sæculi: breuis, pia & Catholica admonitio,

M. Hannardi Gamerij Mosæi.

QVisquis habes uitæ sanctũ rationibus usum,
Certa petens animæ præmia danda tuæ.
Vt precibus minuant diuinam lenibus iram,
Sæpe uoca superos ad tua facta patres.
Et repleto pijs supplex altaria donis,
Et dato uotiuis thura merumq; focis.
Si cum fratre pater, si cum genitrice sorores,
Si pereant animi dulcia membra tui:
Si uel amicitia uel consuetudine iunctus,
Siue tibi famæ nomine charus erit:
Deniq; pro cunctis supplex orato sepultis,
Cuiuscunq; homines conditionis erunt.
Nec tibi persuade, quod pœnas lachryma tollat,
Saltem tristitiæ signa dat illa tuæ.
Viua bonis pœnas oratio manibus aufert,
Quos loca purgandos igne sacrata premunt.

Nam

Nam mala nequetiæ semper uestigia restant,
Et uicij grauibus uulnera facta notis.
Quæ, quia spiritibus nondum curata supersunt,
Donanti ueniam purgat in igne locus.
Namq; caret Domini maculis Ecclesia nostri,
Ruga triumphantum frontibus omnis abest.
Nec licet ad Christi maculato regna uenire,
Qui debet uicij labe carere sui.
Hinc sequitur puris mala demi crimina flammis,
Aut alio tolli facta peracta modo:
Vt scelerum puri, cæli ducantur ad arcem,
Quam subeunt omni libera corda metu.
Hic mihi circumstant uarijs de partibus hostes,
Et malè mendacem turpiter esse putant.
Sed mihi non credas: hoc sacratissimus ore
Paulus Apostolico tradidit esse ratum. Ad Eph. 5
Hoc pietas, hoc dia fides, hoc sancta uetustas,
Hoc probat acceptæ relligionis honos.
Hoc uenerabilium diuersa uolumina patrum,
Hoc docet in multis fœdus utrumq; locis.
Hoc Augustinus: Victor: Bernhardus & Ephrem,
Hoc Nazanzeni scripta relicta uiri.
Hoc sacer & sacra uenerabilis Eckius arte,
Hoc diuus Staphylus sæpe docere solet.

Hoc

Hoc & Isengrenius docto monet ore disertus,
Qui dat Apostolicis dicta probanda modis.
Hoc alij multi, quorum monumenta secutus
Sperne Lutherani dogmata falsa chori.
Sperne Lutheranos, & eorum dogmata, furtas,
Et fuge Caluini somnia, furta, dolos.
Sic erit ut superûm dignos comitatus honores
Diuus apud diuos conspiciâre tuos.

Virtus premi, sed opprimi nunquam, potest.

Soli Deo sit Gloria.

IN

MONODIA
IN OBITVM REVERENDISSIMI Præsulis & Illustriss. Principis D. Roberti à Bergis, Episcopi Leodien. Ducis Bullion. Comitis Lossen. etc.

FAta uiri uitamq; cano qui clarus ab alto
Sanguine Bergiadũ, Princeps et Præsul in urbe
Legiaca, toto luxit clarissimus orbe.
Quem populi plausus, Procerũ quem fama colebat,
Heu nimium funesta dies & iniqua tyrannis
Luctifico sessum tota trieteride morbo
Abripuit terris & acerbo funere mersit.
Inuida fatorum series, quid perpete nixu
Optima quæq; rapis? Dirum mortalibus omen
Quæ speciem uirtutis habent, quòd prima tropheis
Designata, cadunt duris obnoxia fatis.
Hac te lege trahunt, hæc te decreta manebant
Optime Pontificum longa dignissime uita.
Quam tua promeruit uirtus, quam dura sefellit

Atropos, ut solidas fuscaret funere laudes,
Et pia Roberti molimina Præsulis uno
Impete subrueret. Vastum mihi panditur æquor
Ordine cuncta suo si carmine nitar in uno
Tantorum uel sola loqui fastigia rerum:
Si partem tacuisse uelim, quodcunque silebo
Maius erit, dicam præconia stemmatis alti?
Sed retrahent mentem gestarum pondera rerum
Non opis externæ, non indiga laudis auorum
Diuitijs animosa suis: belline labores
Prosequar armataſq; manus? plus egit inermis
Ardua maiestas proprio splendore uerenda,
Natiuumq; decus socia uirtute tremendum,
Notaq; Bergiadum uis Martia & inclyta fama
Gloria, Barbaricis passim decorata triumphis.
Vos Mahumetanis uitiata erroribus arua
Et uos Pannoniæ ualles, quas sæpè cruentis
Stragibus æquauit contempti numinis ultor
Bergiacus Mauors, uos conscia flumina testor
Sæpè coloratos spectastis sanguine fluctus.
Dicite Christiadum pharetratis hostica tergis
Agmina, & Imperio contraria signa ferentes
Romuleo, & bijugis qui Barbara rura iuuencis
Scinditis, offenso quantæ sub uomere putres
Dissiliant galeæ, & dentatis qualia rastris

Apostrophe ad Turcas & cæteros Imperij hostes.

Oſſa peremptorum reſonem, quos Martius enſis
Bergiadum, ſorti paſſim certamine fuſos,
Sparſit in boſtiles infida cadauera campos?
Singula complecti cuperem, ſed denſior inſtat
Geſtorum ſeries, & honorum mole fatiſcens
Obruor, & priſca fulgens ab origine ſplendor
Velleris aurati, tenuem fulgore coruſco
Obtenebrans ſaculam, noſtræ præconia Muſæ
Exuperat. Magna eſt productum ſanguine tanto
Gloria Roberti. facibus maioribus aucta
Quadrifidum fulget uirtus diffuſa per orbem.
Quid memorem primis quantũ ſe præbuit annis? Adoleſcẽ-
Iam tunc canicies animi, iam ſuaue loquendi tia R.D.
Pondus & attonitas ſermo qui duceret aures. Roberti.
Iam primæuus adhuc Canones & Iura ſagaci
Peruolitat ſtudio, quæ uis, quæ cauſa, quis ordo,
Quo ſoluenda forent nodoſa ænigmata flexu.
His maturus erat iam pubeſcente iuuenta
Plurimus ingenio. Sæpè illum auguſta ſcholarum
Atria Louanij magna ſtipante corona
Orantem ſtupuêre, & faſtis digna loquentem
Vel cum diſſereret, uel cum reſponſa referret.
Iam tũc conſpicuus, iam tunc uenerabilis ibat,
Spondebatq; ducem grauitas & ſermo futurum
Pontificem, quacunq; decens graderetur in urbe

Georgius ab Austria Epi. Leodien. assciscit sibi D. Rober. à Berg. in Coadiutorem.

Cedentes spacijs assurgentesq; uidebat.
Interea Austriaca prognatus Episcopus aula
Iam senior gestisq; diu lassatus habenis
Muneris excelsi Consortem quærere cœptat
Cui rerum credatur apex: dum singula librat
Tu legeris Roberte, tibi diuisa laborum
Cura datur, tu Pontifici dignissimus hæres
Pone Coadiutor graderis, iam bina sub uno
Regia coniungit radiantia sydera tecto,
Splendidiorq; domus geminato lumine fulget.

Defuncto D. Georgio ab Austria succedit in Episcop. D. Roberto à Bergis.

Iamq; ubi dimissis conscenderat æthera terris
Austriacus Præsul, parili te Legia plausu
Pontificem nullo contradicente salutat,
Cunctaq; Robertum suffragia consona poscunt.
Nil ibi diuersis studijs ceu libera frenis
Ausa manus, nullos defuncto Principe motus
Turbida tentauit nouitas, alioq; recepto
Præsule, mutatos non sensit Legia fasces.
Quid non intrepidi credant, quo nuper Athlante
Legia fulta fuit, cui frena Georgius Auster
Credidit, & dignum diademate censuit aureo?

Inauguratio D. Roberti Ep. Leod.

Quæ uerò populi uoces quàm certa fuêre
Gaudia, qui plausus totam sonuere per urbem
Dum Princeps trabeis fulgentibus aureus intrat,
Celsaq; Pontificem iam complexura patescunt
Atria!

Atria? plebs auida exultat quocunque decorus
Conſpiciare loco, nomenq; ad ſydera tollunt.
Quiſq; ſua te uoce canit, longæua precantes
Sæculaq; & fauſtos ſceptris felicibus annos.
Quantus erat ſplendor, quanta miracula pompa
Te faſces ineunte nouos? conuênit in unum
Quicquid ubiq; fuit Procerum feſtosq; triumphos
Condecorant, omnis radiat fulgentibus armis
Ardua nobilitas, numeroſo Principe Princeps
Cingeris, & lateri coniunctus Marchio frater
Terga premit ſpumantis equi, rutiloq; decorus
Vellere, Phœbæus radios fulgore laceßit.
Quin & criſtatis exercitus undiq; turmis
Ferratiq;, acies paßi circumflua, Martis
Ingeminat ſplendore diem, perſtringit ahena
Lux oculos, rutilisq; decor Mauortius armis,
Parsq; minax iaculis, pars longis horrida contis,
Pars quoq; fulminibus uaſtum per inane ſonoris
Fumantes quatiunt glandes, & celſa fragore
Culmina concutiunt, tum plurimus æthera clangor
Perſonat & ſtimulante Noto ſua flamina miſcens
Buccina rauca, cauas uolitantia ſigna per auras
Exagitat, ſonipesq; ferox ſpumeus ore
Ordine progrediens longo ferrata plateis.
Quadrupedante pedum ſonitu ueſtiga pulſat.

D. Ioãnes Marchio Bergenſis frater D. Roberti.

Arctantur trepidi iuuenes stat uulgus anhelum
Attonitiq; tremunt grata formidine ciues.
Pars alia è tectis subtegmina lutea serum
Pictaq; uestito uelamina pariete figunt,
Quæ manus artificis molli de stirpe totondit
Frondea lanigeræ contexens uellera syluæ:
Virgineiq; chori collecto uere rubentes
Inuertunt calathos, gelidosq; uirentibus herbis
Depingunt silices, ridentumq; imbre rosarum
Aspergit festas manus officiosa plateas.
Tu quoque Roberti decoras Diana triumphum
Et procul Ardennæ per uasta silentia syluæ
Nodosas animosa plagas & retia figis.
Concrepat omne nemus, resonat latratibus æther,
Palantesq; feras uestigat odora canum uis,
Per iuga celsa pedes glomerans, hæ nare sagaces
Passibus hæ rapidis celeres grandesq; Molossi:
Teridamas ceruos, Orestrophus inuolat ursos,
Ocypes infirmas pecudes in uincula cogit.
Iam qui latiflui defensus arundine Mosæ
Vastus aper longo dentes curuauerat æuo
Aspera uulnifero quæ saucius hausit hiatu
Horrendum infrendens toruo uenabula nisu
Quassat & inuisam moribundus spargit arenam.
Procumbunt ursi magna quos mole ruentes.

Tristis

Triſtis Olympiacis Helice miſeratur ab aſtris
Quicquid monſtriferis enutrit Gallia campis,
Quicquid uaſta tegunt latebroſis cautibus antra,
Siue aptum uerubus populiue futura ſtupentis
Prodigia in caſſes aut in uenabula currunt.
Hæc laqueis innexa gemunt, hæc clauſa ſalignis
Vectantur domibus quæ ſanguinolenta per ora
Aëreas flauere animas impoſta ferentur
Curribus innumeris, longoq; cruenta morantur
Ordine plauſtra uias, iam tuta mapalia pandunt
Ruricolæ & læta modulatur paſtor ariſta,
Agreſtem faciens reſonare Amaryllida ſyluas.
Iam quid in auguſto rerum ſplendore locatus
Quid memorem quanto cunctis uenerandus amore,
Vt uirtute Ducem dederit, pietate parentem, Quomodò adminiſtrarit Epiſcopatum.
Vt fuerit ſolers commiſſi paſtor ouilis
Et princeps patriæq; pater, ſemperq; ſagacem.
Intendens aciem, celſa librabat in arce
Sedulus exercens animo, quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu, dictare paratus,
Quæ ſcriptis peragenda forent, et dicere promptus
Indiga ſermonum: peregrinis ipſe diſertus
Legatis reſponſa dabat, cauſamq; rogabat.
Ipſe ſagax hæc cuncta ſubit, ſeq; omnibus unum
Obijcit, incumbit uarijs mens una uiciſſim.

Fauor eius erga sectatores literarum.

Hinc portum studijs dabat, & felicibus ingens
Ingenijs pandebat iter, Musasq; iacentes
Subleuat, & lectos iuuenes ex omnibus oris
Euehit, impatiens animos uirtutis amantes
Fraudari auxilijs, impensis largus honestis.
Cætera frugalis, nec sumptu æraria nudat
Indecori, iustos fiscum dispensat in usus.

Gallus in uadit fines Leodiensium.

Interea sæuum uaria formidine bellum
Exoritur, peditum turmas equitumq; phalangas
Gallus finitimis passim disseminat agris,
Legiaciq; fero stipantur milite campi.
Et licet hostilis quateret iam machina muros,
Castraq; uicinis tremerent contermina Gallis,
Et populabundis fumarent culmina flammis.

Reuerendissimus Princeps D. Robe. amicis cõditionib. bellum cõponit.

Tu tamen ardentem rabida in certamina Martem
O Roberte tuo placidus moderamine mulces,
Prælia pacificis doctus componere pactis.
Hinc grates tibi ciuis agit, quòd fœdere facto
Nil metuens hostile, truci obsidione solutus
Laxatas iterum liceat sibi pandere portas.
Hinc etiam laudes cumulant, qui rure recepto
Vomere proscindunt calcatos hostibus agros.
Et iam cote nouant flauas rubigine falces,
Nigrantesq; situ, cogunt splendere ligones.
Tam uarias inter curas nil fessa remisit

Officij

Officij uirtus, quicquid ſolenne tenebat
Pontificalis apex, quicquid ſpectabat ad altum
Præſulis officium, nullo ſamulante peregit,
Siue probaturus ſacros examine Myſtas
Audit & auguſto formát, monet, inſtruit ore.
Siue foret ſacram precibus placandus ad aram
Cunctipotens, pia uota pio de pectore fundit.
Ille mihi titulo non inſignitus inani,
Nec radiat ſolo phaleratus Epiſcopus auro
Virtutum decus omne gerens, uarijſq; refulgens
Laudibus, & ueteris calcans ueſtigia recti
Non hic monſtriferis quas Tartarus edidit antris
Informes Erebi peſtes: procul atra fugantur
Crimina, progenies quam torua Megæra ſiniſtro
Progenuit fœtu: Tota ſpectantur in aula.
Formati quondam mores meliore metallo,
Virtutumq; cohors parili ſociata corona
Hoſpita Roberti ſub pectore tecta fouebat
Multijugiq; uirum decorat ſplendoris honore.
Qualiter effulgens radiantis flamma Smaragdi
Ordine compoſito quem lucidus ambit Iaſpis,
Diuerſæq; micant per fulua monilia gemmæ
Rareſcunt tenebræ, & largo loca lumine ſplendent.
Non aliter uinxêre choros in pectore tanti
Principis auricomæ Charites, quîs plurima uirtus

R.D.Roa bertus Epiſcopalia munia ipſemet adminiſtrat.

Aulæ Leodienſis cõmẽdatio.

Variæ uirtutes Principis Roberti.

Comparatio.

Virgoq; flexanimis, docta cum Pallade, Pitho
Mixta, pium toto diffundunt corpore amorem.
Quinetiam fontes semota corrigit ira
Crimina corripiens placidè: Dijs proximus ille est
Quem ratio non ira mouet. Non turbida sæuum
Bilis agit, nulla studuit feritate timeri.
Quæ non seditio, quæ non discordia uulgi
(Si qua fuit) sopita tuo moderamine lenis
Concidit & placida subsidens pace quieuit?
Qualiter undiuagæ moderator nauticus alni
Nubifer infesto quam turbine uersat Orion
Alterno claui declinat uerbera flexu
Et pelagi cœliq; minas euadere certat.
Quid primum extollam? qua non uirtute refulget
Gloria Roberti? te præsule sceptra tenente
Candida pax iurisq; metus seruator honesti
Te uiguit moderante, quies à fonte profecta
Cum Mosæ crescebat aquis. Hinc nomen ubique
Plausibus exceptum populi, placidisq; quietem
Manibus exoptant post tristia funera ciues.
Hæc tua fata grauem cunctis perperere dolorem
Fata triennali uitam populantia morbo,
Quis populi tunc uultus erat, cum tristis in urbe
Fama, leui primum concussit murmure ciues
Vix ausa infaustos trepidanti poplite gressus

Lenitas et mansuetudo eius

Packs & concordiæ studiũ

Comparatio.

Morbus & obitus inexpectatissimus

Lustis-

Luctificosq; inferre pedes, aſſueta dolori
Donec corda, grauem guſtato uulnere plagam
Mitius acciperent. Sequitur feralis arundo
Letiferaq; pium transfigit cuſpide pectus
Pectus inacceſſum uitijs quo plurima uirtus
Ceu ſtrato cubuit thalamo, quod ſemper anhelum
Ciuibus & patriæ patrium ſpirabat amorem.
O qui Legiaca Moderator in urbe fuiſti
Climate qua noſtro nil obtinet altius æther,
Delubris celebrata Deum, fœcunda bonorum
Pontificum genitrix, celſo quæ culmine, cœli
Aemula, ſublimes faſtigia tollit in auras:
Hæc nuper tibi Sparta fuit, nunc inter ouantes
Cœlicolûm turmas noſtris ablatus ab oris
Hanc quoq; cum Superis memori pietate tuêre.

Reuerendiſſimi D. Roberti.

Apoſtrophe.

OPTIMI PRINCIPIS optimis pientiſſimiſq; Manibus officioſę pietatis ergò poſuit Til. Breden. Embricen.

AD

AD REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMUM Principem ac Dominum, D. Othonem S. R. E. Episcopum, Cardinalem Augustanum & Albanum, Nationis Germanicę Protectorem, Dominum & Prępositum in Elwangen, Principem suum Clementiss: De falso infausti atq; lætalis casus sui nuncio, cùm ad eligendum Pontificem, Romam proficisceretur.

Tilmanni Bredenbachij Elegia.

Maxime, Pieridũ Princeps Clarissime fautor
Inter Cardineos gloria prima uiros,
Maxime uirtutum et fidei protector auitæ
Quem meritus decorat Pontificalis apex,
Cuius

Cuius quadrifidum celeberrima fama per orbem
Fertur ad Eoas occiduasq; plagas:
Læta triumphanti canimus tibi carmina plectro,
Et iuuat in laudes nectere serta tuas.
Fundere quæ mæstas elegia nostra querelas
Cœperat, & bustis illachrymare tuis,
Nunc ubi fallacis didicit mendacia famæ,
Quodq; tui casus falsa ruina fuit:
Eccè serenato cesserunt nubila Phœbo,
Et querulos preßit læta Thalia sonos.
Abijcit exuuias mœsti monimenta doloris,
Et niueum cingunt laurea serta caput.
Tu quoq; mutabis, dixit, funebria, uates
Carmina, materia est altera facta tibi.
Viuit & incolumis Romanam uenit in urbem,
Viuit & est rubei gloria magna chori
Viuit Cardineos inter pars maxima Patres,
Viuit, & est casus falsa ruina sui.
Impiger æreas uicit feliciter Alpes
Nil metuens longæ tædia mille uiæ
Non Aquilonari Borean qui sæuit ab arcto
Nimboſiue timens flamina dira Noti.
Improbe mendacis qui primus semina famæ
Sparsisti, atq; rogos extruis ante diem.

Versum

Vertam authorem Superi prius omen in ipsum
Inq; tuum ueniam tristia fata caput.
Parca fauens magnum Patriæ seruauit OTHO-
Nec fuit in uotis officiosa tuis, (NEM,
Perfidus ante diem sacros inquiris in annos,
Quæ quæris, ueniant perfide fata tibi.
Forsitan optatis accedent Numina nostris,
Vt sit pars uoti nulla caduca mei,
Improbe ferales dubitas assumere uittas?
Ara stat, & sceleris noxa pianda tui est.
Quis furor in magnũ mendacia soluit OTHONEM
Ora? quid in uulgus spargere uana iuuat?
Scilicet, est Princeps fidei protector auitæ
Saucia quæ medicam sentit OTHONIS opem
Tu medicas remouere manus & tollere curam
Niteris, ut crescat uulnus inerte situ.
Dij meliora uolunt, nec te tua uota sequuntur,
Seruauit Lachesis Pontificale caput.
Seruabitq; pium felici sidere Patrem,
Vt sibi commissas pascere possit oues.
Nosq; breui nostris reducem speramus in oris
Adfore, felici numinis auspicio.
Viue diu multos Clarissime Præsul in annos,
Et fausto Diuûm numine uiue diu
Viue, diu sacrumq; pius rege pastor ouile
Viue diu felix, incolumisq; Vale. Finis.

ERRATA.

Folio 10. pagina 2. linea ultima de luctu & dolore.
Fol. 11. pag. 1. lin. 7. eiulatu.
Fol. 13. pag. 2. lin. 13. προσωπολημψίαν.
Fol. 28. pag. 2. lin. 22. ex imis.
Fol. 44. pag. 2. lin. 18. uelit.